



*Martini Andrea
Schatzianis.*

MA EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IC 140.

SIGNAT. CIIOCCCXIII.



ΕΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ
PRÆCIPVORVM LOCORVM SACRAE
SCRIPTURAE, ORTHODOXORVM
patrum scriptis illustratum, &
in gloriam Domini nostri IESV
CHRISTI, & Iuniorum
Theologorum usum
conscriptum,

ATQVE ILLVSTRISSIMO ET CHRISTIANISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO,
DOMINO AVGVSTO,
DVCI SAXONIAE ETC.
DEDICATVM.

PER M. LEONARDVM IACOBI
*Northusianum, Ecclesiae Calbien-
sis Pastorem.*

LIPSIAE
EX OFFICINA VALENTINI
PAPAE.

M. D. LII.

13

PRÆCIPVO

in gloria Domini nostri
Theologorum
conscriptum

A T O V E I L L V
STRASSMO RT CHRISTIA
DICT SAXONIA ET C
DEDICATA

PER M. LEONARDUM JACO
in Passau

INSTITUTIO
PATER
R. H. L. L.



ILLVSTRIS-
SIMO ATQVE
CHRISTIANISSIMO PRIN-
CIPi, AC DOM. DO. AVGVSTO,
DVCI SAXONIAE, LANDGRA-
VIO THVRINGIAE, ET MAR-
CHIONI MISNIAE, DO-
MINO SVO CLEMEN-
TISSIMO.



RATIAM ET PA-
cem per & propter
dominum nostrum
IESVM CHRISTVM.
Cum mihi anno su-
periori ab honesto
atq; prudenti sena-
tu nostro Calbiensi iniunctum fue-
rit, Illustrissime ac Christianissime
Princeps, in ludo nostro literario sci-
licet, tractare Sacra, & ego planè per-
spectum habeam, quam ardua res
sit, præsertim mihi Tyroni adhuc in
hac palæstra Ecclesiastica, quantasq;
ingenij vires postulet, sacrosancta
scripta Prophetarum atq; Apostolo-
rum,

A 2 rum,

EPISTOLA

rum, iuxta uerum & legitimum su-
um sensum explicare siue enucleare.
Adhæc quod nō ignorem ego tenuis-
tatem ingenij & uirium mearū in tan-
ta prouincia subeunda, & quam mo-
lestum sit, iuxta Prouerbiū, Alicui
imponere bouem, qui uix sufficit ge-
stare capram: ut de meipso merito di-
cere possim hoc, quod olim Theocri-
tus ad Battum:

*Batte caue pedibus nudis perrepere montem,
Quippe rubis tribulisq; uiret mons undiq; den-
(sus:*

Attamen mihi minime licere existi-
stimauī dux Inclytissime, tam pie præ-
cipientibus non obedire uelle. Proin-
de periculum faciens (Nam in mag-
nis & uoluisse, quod aiunt, fat est)
propofui primum pueris doctrinam
Catechismi, & illos qua potui fide ac
diligentia in articulis orthodoxæ fi-
dei nostræ, institui: Postquam autem
DEI gratia, res opinione melius suc-
cessit, accepi denuo in manus præci-
puos

DEDICATORIA.

puos locos sacrae scripturae, quos plurimo labore tractavi, & sanctorum patrum scriptis illustravi, & tandem piorum hominum assiduis precibus motus, ut ipsorum studia iuuarem, excudi curavi: Imitatus in hoc exemplum atque consilium doctissimorum uirorum, & praecipue illorum, qui de instituenda studiorum ratione seu formando studio scripserunt, ij inquam, pie consulunt ac monent, ut ex ijs quae discendo percipimus aliquid excudi atque in uulgus produci curemus, ne studia nostra apud animum segnia & (ut ipsi loquuntur) sterilia reponantur, sed quod semina solent in terram iacta, fructum aliquem uberiolem cum foenore profundant. Prostramo cum manifestum sit complures iuxta doctissimos olim uiros, lucubrationes suas regibus, ueterum more, inscripsisse, & nuncupatim dedicasse, et reges quoque ac Principes eas sibi dicari honestum atque gloriosum putasse, ut de Iulio Polluce legimus,

A 3

qui

EPISTOLA

qui de Grammatica scripsit ad Commodum Cæsarem, & de Vitruvio, qui scripsit de Architectura ad Cæsarem Augustum, & de Nicolao quinto, Romanæ sedis Pontifice, cui cum renunciatum esset, quosdam esse Romę uates, qui bonos uersus facerent, negauit bonos esse: Cur enim, inquit, ad me non ueniunt, qui Poëtis etiam malis faueo? Ita moleste tulit Pontifex in urbe sua esse, qui literas callerent & nescirentur. Placuit itaq; & mihi hunc ueterem morem retinere. Quamobrem cum mecum deliberarem, cui nam hoc meum *ἕνεκεν* de præcipuis locis sacrae scripturæ, orthodoxorum patrum scriptis illustratum atq; decoratum, deberet dedicari, Tu solus præ cæteris Christianis principibus Germaniæ mihi dignus uisuses, AVGVSTE Princeps clementissime atq; pijsime, ut tui celeberrimi nominis inscriptione hoc pium opusculum meum consecraretur. Primum nanq; de Illustrissimo, nobiliss

DEDICATORIA.

nobilissimo, atq; clarissimo & ferè antiquissimo Saxonico nimirū stemmate es natus & ortus. Deinde nobilior est tua fama, quam ut unquam intercidere aut emori possit tam egregie quoq; tibi tuisq; rebus prouides & consulis, & supra omnia mores ita integri sunt, ut publicis præconijs sis dignissimus. Et cui tandem non placeat animi tui erga bonas literas studium? Imo quod maximum est, & propter quod omnes tibi, Ô AVGVSTÆ Princeps optime, perfectæ laudis amplissimum testimonium reddunt. Tu namque propensè faues Christianæ Religionis, & sanctæ Ecclesiæ DEI in tuo ducatu præbes hospitium, pro quo beneficio haud dubie uicissim in futura atq; æterna cœlesti patria paratam tibi inuenies mansionem. His igitur & eiusmodi alijs quæ passim de te prædicantur, dux Illustrissime permotus & ferme lacepsitus, hunc librum tibi, ut clementissimo ita & pijsimo principi

EPISTOLA

nominatim dedicare atq; deuouere uolui, supplex rogans, digneris pro singulari tua, erga sacrarum literarum studiosos, clementia atq; patrocinio, hoc Theologicum munus clementi animo à me accipere, & certe facies. Primo enim hoc studium multo amore prosequeris. Deinde, non te fugit prouerbiale istud Heroicum hemystichium, ut est,

Ἐνίωμ δὲ τὲ θυμὸς ἄριστος.

Vale Germaniæ decus, & ut nobis & patriæ nostræ diu uiuas, ac tuam quoque celsitudinem CHRISTVS DEI Filius Dominus noster, instaurandæ & conseruandæ ueræ pietatis, bonisque literis euehendis diu tueatur incolumem, ex animo precor. Datę Calbis ad Salam: 5. Iulij. Anno 1551.

Tuæ celsitudini deditiß.

M. Leonardus Iacobi Northusianus,
Ecclesiæ Calbiensis Pastor.

PRIMVS LO- CVS DE TRINI- TATE.



TRINITAS est unitas trinitatis, et unitatis Trinitas Deifica, mirabile Sacramentum, magis credendum quam exprimentum: teste S. AVGVSTINO

Sermo. 190. Vbi dicit: *Trinitas debet credi, non inuestigari.* Et lib. 3. cap. 11. de Trinitate, *Essentia Trinitatis nunquam apparuit oculis mortalium, sed per subiectam sibi creaturam significauit quæ uoluit.* Proinde legitur in Ioanne, *DEVM nemo uidit unquam: est enim DEI, tanta maiestas & tanta claritas, ut eã nulla caro, inspicere queat, nulla ratio comprehendere, nullus intellectus emetiri:* Et 1. Timo. 6. *DEVS solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem nemo hominum uidit.* Verum quòd aliqui sanctorum se Dominum DEVM uidisse gloriantur, ut Iacob Patriarcha Gne. 32 *Vidi Dominum facie ad faciem, intelligendum est, illos non ipsam deitatem & maiestatem inuisibilem conspexisse, sed tantum imaginem alienam, qua se DEVS reuelauit, tecta Diuinitatis forma, aut gustum aut specimen gloriæ suæ exhibens. Vnus & solus & uerus & summus &*

A 5

immor=

immortalis & altissimus DEVS dicitur Trinitas, quia tres personæ, unius eiusdemq; substantiæ ac naturæ, cuius mysterium significatur in uerbo FACIAMVS, Genes. 1. Dixit enim DEVS: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Per IMAGINEM ostendit unam esse naturam & substantiam eius, ad cuius imaginem & similitudinem fieret homo: Per NOSTRAM, ostendit DEVM non esse unam personam, ad cuius imaginem homo fieret. Si enim essentia Patris & Filij et Spiritus sancti una esset persona, non dixisset NOSTRAM sed meam, non FACIAMVS sed faciam: Et si in illis tribus personis, tres essent essentiæ, non dixisset NOSTRAM sed nostras. Hæc Sanctus AVGVSTINVS sermone 15. ad fratres in Erêmo. Idem libro 6. cap. 8. de Trinitate: Trinitas deitatis nullo modo est triplex dicenda, quia nec tria ibi plus sunt quam unum, nec unum minus quam tria: Quoniam enim unus est DEVS, sed tamen Trinitas, id est, tres personæ, quæ significantur in tribus illis uiris, quos Sanctus Patriarcha Abraham uidit suscepitq; hospitio, & unum adorauit, Gene. 18. Nec confuse est accipiendum, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, (nec Dijs multis aut tribus) sed ipsi honor & gloria in secula seculorum, Roma. 11. Recte ergo creditur

DE TRINITATE. 3

ditur DEVS, trinus in personis, unus in essentia. Sicut sol una & indiuidua est substantia, et tamen tres habet distinctas operationes, primum lucet, deinde projicit radios, tertio de se præbet calorem seu æstum: ita idem est DEVS, una & indiuidua eius substantia, cum tres sunt personæ, quibus sua cuiq; attribuuntur officia: Pater est illud lumen solis, qui statuit se miserias humani generis pro sua misericordia respicere uelle: Filius officium habet simile radijs solis, ut terram illuminet, Ioan. 1. Missus enim in carnem perpetuam patris uoluntatem mundo patefecit: Spiritus sanctus est ille calor seu æstus diuinitatis, qui nos docet, quid de Patre & Filio sentire, & quomodo ista luce & radijs uti debeamus ad salutem. Operatur enim in nobis uiuam et ardentem Patris et Filij cognitionem, ut simus certi in animo nostro de eorum præsentia & benigna gratia. S. ATHANASIUS in Symbolo suo, Hæc est, inquit, fides Catholica, quam ut fideliter teneat, necesse est in primis quicumq; uult saluus fieri, ut unum DEVM in Trinitate, et Trinitatē in unitate ueneremur. Quare maledictus est qui indiuisam deitatem Patris & filij & Spiritus sancti non confitetur, inquit AVGVSTINVS sermo. 6. de tempore: Neq; confundentes personas dicendo nempe eandem esse personam Patris & Filij & Spiritus

ritus

4 PRIMVS LOCVS

ritus sancti, ut Sabellius errando censuit. Male
dictus enim qui unam personam eorum tantum
esse confitetur, ut inquit AVGVSTINVS
loco iam citato. Scriptura enim dicit quod tres
sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, VER
BUM et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.
Quare dicit quoq; Neq; substantiam separan
tes: diuinitatis scilicet, ut infelix Arrius fecit.
Nam etsi alia est persona Patris, alia Filij, alia
Spiritus sancti, attamen ipsarum trium perso
narum prorsus eadem est natura, essentia, dei
tas, potestas atq; maiestas. Maledictus igitur
qui Patris & Filij & Spiritus sancti, unam sem
piternam substantiam esse non confitetur. Ma
ledictus quoq; qui secundum tres personas diui
sas substantias esse confitetur. Quamuis CHRI
STVS aliquoties de se loquitur quod inferior
seu minor sit Patre, habet hoc rationem huma
nitatis, & iterum dum se dicit æqualem Patri,
naturam diuinitatis respicit, alias nulla est per
sonæ distinctio siue naturarum confusio. Vnde
ATHANASIVS, Aequalis Patri secundum
diuinitatem, minor Patre secundum humanita
tem. ADAM de Sancto Victore, composuit
quandam prosam, in qua eleganter & apposi
tè altissimum sanctæ Trinitatis mysterium ex
plicat, Quomodo in illa nec unitas deitatis per
sonarum trinitati repugnat, nec harum plura
litas illius simplicitati.

Diffinitio

I. Pro

I.

Profitentes unitatem
Veneremur Trinitatem
Pari reuerentia.

II.

Tres personas asserentes
Personali differentes
A se differentia.

AUGUSTINVS sermo. 38 de Tempore.
Firmissime teneamus, inquit, Patrem & Filium
& Spiritum sanctum naturaliter unum esse
DEVM, neq; tamen Patrem ipsum esse qui Fi-
lius est, nec Filium ipsum esse qui Pater est, nec
Spiritus sanctum ipsum esse qui Pater est aut
Filius: alius enim est Pater, alius Filius, alius
Spiritus sanctus, non essentialiter sed persona-
liter. Lege caput 3. Ioelis, ubi sanctæ Trinitatis
mysterium clarissimum ostenditur: obseruanda
est autem ibi personarum differentia, quæ ta-
men neutiquam est confundenda. Propheta sic
inquit, Gaudete in DEO uestro (qui est Pater)
qui dat uobis Doctorem iusticiæ (Qui est Filius)
& effundit Spiritum suum (sanctum scilicet.)
Hic necesse est constituere tres personas, Pater
qui donat Doctorem non est Filius qui docet:
Filius

Filius qui docet non est Pater qui donat Doctorem: Sic Spiritus qui effunditur non est illa persona quæ effundit. Vocatur autem filius Doctor iusticiæ, quoniam uerbo & doctrina quam afferet, homines à peccatis liberabit & iustos faciet, quos redimendo suo sanguine acquisiuit. Paulus ad Ephe. 1. Vocat Spiritum sanctum, Spiritum promissionis, alludens ad illud Ioel. 3. Effundam Spiritum meum super omnem carnem, quæ Prophetia impleta est in die Penthecostes, ut S. Petrus Apostolus testis fide dignus dicit, cum Spiritus sanctus cœlitus descendit, et impleuit suo numine animos Apostolorum, & qui cum eis erant, ut & loquerentur linguis antea non intellectis, & magna uirtute testimonium darent resurrectioni CHRISTI, qui ante hoc donum cœleste metu perturbati, non solum non docere, sed uix audebant prodire in publicum.

III.

Siue dicas tres uel tria
Simplex tamen est usia
Non triplex essentia.

Hoc est, in ipsis tribus personis diuinis est usia, id est, simplex substantia, unde filium DEI homouision, id est, Patri consubstantialem secundum

DE TRINITATE. 7

cundum orthodoxæ fidei traditionem confite-
mur, Iuxta illud, Ego & Pater unum sumus. *Psalmus:*

III.

Pater, proles, sacrum flamen,
DEVS unus, sed hi tamen
Habent quædam propria.

Iuxta illud, Proprietas in personis, unitas
est & in essentia.

V.

Vna uirtus, unum numen,
Vnus splendor, unum lumen,
Hoc una quod alia. Id est,

Differentia proprietatum in his tribus diui-
nis personis nullam diuersitatem substantiæ
aut naturæ diuinæ inducit. AVGVSTINVS
sermo. 29. de Tempore: In Patre & Filio &
Spiritu sancto ita confitenda est una diuinitas,
ut nec singularis putetur in Trinitate persona,
nec triplex in unitate substantia, sed ita assigne-
tur pluralitas unitati, ne Trinitati subtrahatur
æqualitas, & licet intromittatur in una diuini-
tate numerositas, non tamen sit recipienda di-
uersitas. Et sermo. 1. de uerbis Apostoli. Alius
est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus,
non

non aliud: Si enim aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, iam non est una trinitas, sed diuersa potestas. Et tractatu 94 in Ioannem: Quamuis nulla diuersitas substantiarum sit, singularum tamen debet commendari personarum distinctio.

VI.

Digne loqui de personis,
Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia.

Quare uerius cogitatur DEVS quam dicitur, & uerius est quam cogitatur, ut inquit AVGVSTINVS lib. 7. cap. 4. De Trinitate. Et lib. 12. cap. 7. Cogitatio turpiter uana est, quae opinatur DEVM membrorum carnalium seu corporalium lineamentis diffiniri circumscribiue: Maledictus igitur, ut idem ait sermo. 6. de tempore, Qui incomparabilem deitatem Trinitatis proprie ad hominis lineamenta esse confitetur, dum scriptum inueniamus, quia non sit illi similis quisquam DEVS in caelo sursum & deorsum in terra. Imago nimirum ipsius, ut eam definit Tilemannus Cragius, non est corporea aut uisibilis forma, sed est spiritualis essentia inconspicui DEI, aeterna sapientia, iusticia, misericordia, potentia, & immortalis diuinitas, quam

gibmannus

quam nemo hominum perspexit unquam, nec Moses in monte Horeb, ubi DEVS cum magna potestate apparuit, nec Baptista in Iordane omnium qui nati sunt ex mulieribus maximus ac sanctus, Baptizans Filium DEI, loquente Patre & descendente Spiritu sancto et cælo aperto Matthæi 3. Nec discipuli Christi in monte Thabor Matthæi 17. Nec Paulus raptus in tertium usq; cælum: Quam pia mente, & uera fide sancti Patres, ~~Propheta atq; Patriarchæ~~ apprehenderunt & conspexerunt in uerbo DEI & mirabilibus operibus eius, in creatione mundi & redemptione humani generis. Huc igitur sese conuertat qui uolet DEVM uidere, & ipsius imaginem cognoscere, respiciat in Christum qui est ipsa plenitudo diuinitatis, et imago inconspicui Dei, quæ fulget non in uisibili corporis Christi forma, sed in gloriosa peccati, mortis & serpentis uictoria, & in conseruatione Ecclesiæ suæ dominantis in medio inimicorum suorum. AVGVSTINVS serm. 63. De uerbis Domini, ita dicit: Trinitas separatim demonstratur, et inseparatim operatur, Pater in uoce, Filius in carne humana, Spiritus sanctus in columba. Ita Trinitas fecit carnē Christi, sed non pertinet nisi ad solum Christum. Ita Trinitas fecit de cælo columbā, sed non pertinet nisi ad solum Spiritum sanctum. Trinitas fecit de

B

cælo

cælo uocem, sed non pertinet uox nisi ad so-
 lum patrem. *Questio?* Facit aliquid
 Pater sine Filio? Non, Quid enim faci-
 at sine illo, per quem facta sunt omnia, id est,
uniuersa creatura. Ioannis 1. Et nihil facit
 Filius sine Patre? Sic, Tamen Filius natus
 est ex MARIA uirgine, passus est, crucifixus
 est, mortuus est, resurrexit, non Pater. Ergo
 Filius fecit quod Pater non fecit?
 Respond. Filius quidem natus est de MARIA
 uirgine, passus est, crucifixus & mortuus est,
 resurrexit, non Pater, sed ipsam natiuitatem,
 passionem, resurrectionem Filij, & Pater &
 Filius operatus est: Vnde AVGVSTINVS,
~~Maledictus est, inquit, qui Patrem natum aut~~
~~incarnatum aut passum esse confitetur.~~ Quo-
 modo autem Pater natiuitatem Filij sit opera-
 tus, ostendit Paulus ad Gala. 3. dicens: At ubi
~~uenit plenitudo temporis, misit DEVS Filium~~
~~suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos~~
~~qui sub lege erant, redimeret.~~ Quomodo
 Filius? Indicat idem ad Philippen. 2. Chri-
 stus IESVS cum esset in forma DEI, (id est,
 in DEI substantia, ut dicit THEOPHILA.)
 non rapinam arbitratus est, ut esset equalis
 DEO, sed semetipsum exinaniuit (non ut amit-
 teret diuinitatem, sed ut indueret humanitatem,
 ut

ut inquit **AVGVSTINVS** sermo. 40. de Tempore) forma serui sumpta in similitudine hominum cōstitutus (naturam, scilicet, hominis induendo ut ait **SEDLIVS**) & habitu inuentus est ut homo. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Passionem filij quomodo operatus est pater? Respondet Paulus ad Roma. 8. dicens: **DEVS** proprio filio suo non percipit, id est, unigenito & amantissimo secundum Theophilactum, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo filius? Dicunt Esaias Cap. 53. Oblatus est quia ipse uoluit. Et Paulus ad Gala. 2. Viuo in fide filij **DEI**, qui dilexit me, & pro me tradidit seipsum. Et 2. Cap. prioris Epistolæ ad Timotheum, Vnus enim **DEVS**, unus & mediator, **DEI** & hominum homo **Christus IESVS**, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus.

Quomodo pater operatus est resurrectionem filij? Respondet Petrus Acto. 2. dicens: Hunc **IESVM** resuscitauit **DEVS**, cuius nos omnes sumus testes. Et illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est super omne nomē, ut in nomine

IESV se omne genu flectat cœlestium, terre-
 strium & infernorum: Omnisq; lingua confitea-
 tur, quod Dominus sit **IESVS** Christus ad glo-
 riam **DEI** Patris, Philippen. 2. **Quomodo**
Filius? Lucæ 24. Quid quæritis uiuentem
 cum mortuis, non est hic, sed surrexit, qui de se
 ipso sic ait Ioan. 2. Destruite templum hoc, &
 in triduo erigam illud. Loquitur enim de Tem-
 plo sui corporis, quod tertia die à mortuis esset
 suscitaturus. Lucæ 18. & Ioan. 10. Potestatem
 habeo ponendi animam meam, & potestatem
 habeo rursus sumendi eam. Ecce personarum
 distinctio & operationis inseparabilitas. Ne
 ergo dicamus Patrem aliquid operari sine Fi-
 lio, & Filium aliquid sine Patre. Iuxta illud Io-
 an. 5. Non potest Filius à se facere quicquam, ni-
 si quod uiderit Patrem facientem: secundum
 quod nihil alienum uel nouum habet à Patre,
 sed per omnia similis est Patri, neq; aliam ha-
 bet substantiam, ut & aliam habeat uirtutem,
 & sic per consequens aliam operationem. De
 miraculis uero quæ fecit filius, ipsemet dicit, Pa-
 ter in me manens ipse facit opera, Ioan. 14. Cre-
 dite mihi quod ego in Patre sum & Pater in
 me est, ergo una est substantia, una uirtus, una
 potestas, una uoluntas, una operatio Patris &
 Filij. Si enim quid nouit Pater non nouit sine Fi-
 lio

lio, siquidem ipse Filius est sapientia Patris, & si quid potest Pater, non potest absq; Filio, est enim ipse Filius potentia Patris. Lege AVGVSTINVM tractatu 20. in Ioannem.

Nunquid & Spiritus sanctus operatus est Filij natiuitatem? Imo, Est enim Spiritus sanctus autor conceptionis illius: Dixit Angelus ad Virginem Mariam, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi, Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius DEI. Hic quidem uerbis declarat Angelus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis mysterium, uocans primo Patrem altissimum, filium deinde uirtutem DEI, denique & Spiritum sanctum.

Nunquid & passionem? Ita, CHRISTVS passus est secundum scripturas, hoc est, Propheta prædixerunt CHRISTVM passurum, Vt Moses Genes. 3. Semen mulieris conteret caput serpentis, id est, CHRISTVS MARIÆ Filius destruet regnum peccati, mortis, Diaboli & inferni, idq; per passionem & mortem. Esaias cap. 53. Ipse uulneratus est propter peccata nostra. Zacha. 13. Framea suscitare super Pastorem meum dicit Dominus exercituum, percutite illum & dispergentur oves: hocq; factum est tempore passionis Christi, cum

discipuli eius eo relicto aufugerunt: Iuxta illud,
 Et qui iuxta me erant de longe steterunt, Psal.
 37. Daniel. cap. 9. Occidetur ~~CHRISTVS~~.
 David Psalmo 21. ~~Foderunt manus meas & pe-~~
~~des meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, &~~
~~diuiserunt sibi uestimenta mea.~~ Quae uerba ipse
 semet Saluator noster ~~CHRISTVS~~ locutus
 est in spiritu per regium Prophetam David.
 Quorum postea & aliorum quoque, quae passim
 apud Prophetas extant de sua passione & mor-
 te, meminit Lucas cap. 18. dicens: Ecce ascendi-
 mus Hierosolymam et consummabuntur omnia
 quae scripta sunt per Prophetas de Filio homi-
 nis & c. Et non humana uoluntate allata est o-
 lim Prophetia, sed à Spiritu sancto impulsu lo-
 cuti sunt sancti ~~DEI~~ homines 2. Petri 1. Ergo
 sequitur quod & Spiritus sanctus cooperatus
 sit passionem Filij ~~DEI~~, quandoquidem illam
 longè ante per Prophetas praedixit: Lege Au-
 gustinum tractatu 9. & 25. in Ioann. Oportuit
 enim impleri omnia quae scripta sunt in lege
 Mosi & in Prophetis & in Psalmis de me, in-
 quit Christus Lucae 24. Ad Hebraeos. 9. Sanguis
 Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum
 obtulit immaculatum ~~DEO~~, purgabit conscien-
 tiam nostram ab operibus mortuis ad seruien-
 dum ~~DEO~~ uiuenti. Nunquid et mortem?
 Sic, Hoc enim ostendunt uerba Caypha Pon-
 tificis

tificis necem Domini Prophetantis, Ioann. 11. Expedi uobis ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, inquit Euangelista, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quia IESVS moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. THEOPHILA. sic ait, Sinistro animo hæc Cayphas dixit, uerumtamen gratia spiritus ore illius usa est ad prædicendum futura, tametsi pollutum cor eius non attigerit. Nunquid et resurrectionem? Sic, Testatur enim hoc Paulus ad Roma. 8. dicens: Quod si spiritus eius qui excitauit IESVM à mortuis habitat in uobis, is qui excitauit IESVM Christum à mortuis uiuificabit & mortalia uestra corpora, propter ipsius Spiritum inhabitantem in uobis. THEOPHILACTUS sic ait: Ne perturberis animo, quod mortali obductus es corpore, habes nanq; DEI spiritum, qui Christum IESVM à mortuis excitauit, utq; & illum eduxit ab inferis, sic planè et te suscitabit, quinetiam condonabit et uitia. Resurgent præterea & qui hoc Spiritu carent, sed in supplicium, qui uero Spiritus fuerint in uitam suscitabuntur. Danielis 12. Ioannis 5. Ergo quicquid operatur Trinitas sancta, operatur inseparabiliter, quia una est Trinitatis operatio, sicut

una est substantia, una uoluntas, una potestas.
 Quamuis incarnatio Filij DEI sit opus, tamen
 totius est Trinitatis, quia quod operatur una
 persona, operantur omnes, eò quod opera Tri-
 nitatis sint indiuisa. Lege AVGVSTINVM
 sermo. 15. ad fratres in Erêmo, & sermo. 181.
 de tempore. Ita Pater & Filius & Spiritus
 sanctus cum sunt una substantia, tota Trinitas
 operata est hominem quem assumpsit, non per
 sona Patris, neq; persona Spiritus sancti, sed so-
 la persona Filij, quod tum conueniebat, dicit
 Magister sententiarum, ut qui erat in diuinita-
 te filius DEI, ipse quoq; in humanitate hominis
 Filius fieret, ne filij nomen ad alterum transi-
 ret, qui non esset æterna natiuitate filius, inquit
 AVGVST. Quare interrogatus, Quis te
 saluum fecit? Respondere non licet, DEVS
 Pater, DEVS Filius, DEVS Spiritus sanctus:
 Etsi uerum est totam Trinitatem in nostræ sa-
 lutis negotio operatam fuisse. Sic enim Pater
 ordinauit ut salui fieremus in Christo in quo
 nos elegit ante constitutionem mundi, ad Eph.
 1. Christus ideo in mundum uenit, descendens
 de cœlis et saluos nos fecit. Spiritus sanctus con-
 seruat nos in illa salute per Christum accepta.
 Tamen interrogatus, responde: Christus sal-
 uum me fecit, de quo Angelus Matth. 1. Hic sal-
 uum

uum faciet populum suum à peccatis eorum.
 Interrogatus autem Quid sit Pater? Re-
 sponde, DEVS, Quid filius? DEVS,
 Quid Spiritus sanctus? DEVS. Interro-
 gatus de Patre Filio & Spiritu sancto simul.
 Responde, unus DEVS. Petrus Artopæus in
 tractatu suo de breuibus quæstionibus locorum
 communium. Quis nos creauit? Respon-
 de DEVS. Quis nos damnauit? Pecca-
 tum. Quis nos redemit? IESVS Chri-
 stus. Quid est nobis DEVS? Pater
 per Christum. Quid nos? Eius filij non na-
 tura sed gratia.

DE DEO.

Quid est DEVS?

DEVUS est infinita substantia, spiritualis,
 impassibilis, immutabilis, omnipotens,
 sapiens, misericors, patiens, uerax, Pater æ-
 ternus, qui Filium suum imaginem suam
 ab æterno genuit, & Filius ima-
 go Patris coæterna, & Spiri-
 tus sanctus à Patre
 & Filio proce-
 dens.

B S

Inc

INFINITASVB STANTIA.

DEVUS est aeternus ultra omnia, extra omnia, praeter omnia, neq; principium habens neq; finem, qui per immensitatem naturae suae totam suam creaturam implet & continet, inquit AVGVSTINVS Sermo. 38. de tempore. Et Sermo. 190. Qui cum dicitur, dici non potest, qui cum aestimatur, aestimari non potest, cum comparatur, non potest comparari, cum definitur ipsa definitione crescit, quia caelum manu sua cooperuit, pugno omnem mundi ambitum claudit, Esaie 40. Quem totum omnia nesciunt & metuendo sciunt, cuius nomini & uirtuti famulatur hic orbis, & ipsa sibi elementorum succedentium momentanea uicissitudo seruiendum testatur.

SPIRITVALIS.

DEVUS est Spiritus inquit Christus Ioan. 4. DEVUS est incorporeus, quare non debes tibi fingere DEVM quasi idolum, inquit AVGVSTINVS Sermo. 17. de uerbis Apostoli: Spiritus enim carnem & ossa non habet, Lucae 24.

Impassis

IMPASSIBILIS.

Diuinitas nunquam patitur aut ullo affectu afficitur. DEVS enim solus habet immortalitatem 1. Thimo. 6. DEVS mori non poterat, dicit B. AVGVSTINVS Tracta. 6. in primam Epistolam S. Ioannis.

IMMUTABILIS.

DEV S sibi per omnia constat, & non est quasi homo qui mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Nume. 23. Et agat pœnitentiam. 1. Samuel. 15. Non est apud ipsum transmutatio. Iacobi 1. Id est, DEVS idem ipse est, non reuocat quod dixit, non est uarius, non est inconstans, non est uersatilis, non est ut Empusa apud ARISTOPHANEM, Vertumnus apud HORATIUM: Non habet contrarias & dissidentes inter se uoluntates, non contraria, sed firma, uera & constantia loquitur: Nullus illi dominatur affectus. Quare cum dicitur iratus malis, & placidus bonis, illi mutantur non ipse, quemadmodum lux infirmis oculis aspera, firmis lenis, ipsorum scilicet mutatione non sua. Cur ergo toties in scripturis dicitur pœnitere DEVS? Vt Gene. 6. Pœnitet me fecisse

fecisse hominem. Et 1. Samue. 15. Pœnitet me quod constituerim Saul regem. Hieremiæ 26. Audite uocem Domini DEI uestri, & pœnitebit Dominum mali quod locutus est aduersum uos. Responsio. Sacra scriptura quæ propter nos scripta est, ad Roma. 15. sese nobis accommodat, nobis loquitur, ad captum nostrum se format, & DEO nostro tribuit affectus, ut forment ingenium nostrum, quo eius benignitatem imperscrutabilem extendamus, discamus & intelligamus, qui se nobis accommodat, fit noster, hominem induit, fingit quoq; sibi nostros mores atq; affectus, omnia nostra causa facit, ut eum apprehendamus. Huc pertinet 28. Cap. in Deuteronomio de benedictionibus & maledictionibus, in quo docetur quæ præmia pios, quæ calamitates impios sint secuturæ. In summa DEVS bonis bonus, malis malus est, & talis qualem credimus. Pœnitet autem DEVS non humano more, ut tangatur dolore, & displiceat quod prius placuerat, sed mutat factum, ut qui benefecerat diligentibus se, postea iisdem malefacientibus malefaciat, Id est, Puniat illos seu perdat. Hæc Althamerus. DEVS pœnitet, Id est, mutat sententiam, hoc est, sensum uerborum, non decretum aut consilium, id est, æternam dispositionem
inquit

inquit S. GREGO. Vt Iona 3. Adhuc quadra-
 ginta dies & Niniue subuertetur. Attende uero
 semper conditionem pœnitendi adiectam, ut
 Psalm. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum
 uibravit, arcum suum tetendit & parauit illum
 &c. Et Luca 13. Dico uobis (inquit Christus)
 nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis,
 Cum igitur sententia de subuersione ciuitatis
 sub conditione data fuerat, Scilicet, si non ege-
 rit pœnitentiam: Niniuite uero credentes præ-
 dicationi Iona & pœnitentiam agentes sunt
 seruati: mutata enim conditione, mutata etiam
 fuit sententia, ut Iona. 4. Parcā Niniue ciui-
 tati magnæ, & misertus est dominus super mali-
 tiam quam locutus fuerat ut faceret eis & non
 fecit. Simile exemplum extat apud Esaiam 38.
 de Hiskia rege ægrotante. Sic quoq; dicitur
 DEVS dormire, ut Psalmo 43. Exurge, quare
 obdormis domine. Cum tentat nos afflictioni-
bus, ac subtrahit ad tempus auxilium, abscon-
dit aliquandiu suum uultum, ut probetur no-
stra fides. Rursus dicitur uigilare ut Psal. 120.
 Non dormitat qui custodit Israël, quando auxi-
 lium suum manifeste demonstrat electos suos de-
 fendendo, et de malis sumendo supplicium, non
 dormit uere sicut homo solet, sed nobis
 dormire uidetur quando sinit
 nos tentatum iri.

Omnia

OMNIPOTENS.

Quia omnia potest, omnia sunt sita in manibus eius, omnia efficit, gubernat, moderatur, ipse est cœli & terræ dominus, ipse omnibus uitam & habitum præbet. Quare de se dicit: Ego sum dominus omnipotens, Gene. 17. Et ad Roma. 1. Potentia eius est æterna, quæ apparet ex hac mirabili rerum structura, inquit Theophilactus: Quæ instituit quæ non erant, & quæ omnia regit, inquit Sedulius. Illa autem uerba, quæ ipse dominus omnipotens olim ad Loth dixit de excidio Sodomitico, Gene. 19. Non possum facere quicquam donec ingrediaris illuc: nihil derogant diuinæ potentie, sed ostendunt quantum sancti DEO sint curæ, quantum respiciat ametque pios, ut propter ipsos iram & ultionem suam differat & suspendat. Decreuerat enim DEVS perdere Sodomam, in qua S. Loth habitabat, attamen non potuit, id est, non uoluit euertere urbem, nisi prius educto & liberato electo Loth. Patefactæ autem sunt hæ tres personæ, quæ tamen unus est DEVS, & in ueteri & in nouo testamento. In ueteri, ut Gene. 1. In principio creauit DEVS cœlum & terram, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Esaie 6. Non cessant Angeli clamare die ac nocte, Sanctus, Sanctus, Sanctus

Etus Dominus DEVS exercituum, plena est
 omnis terra gloria eius. Psalm. 66. Benedicat
 nos DEVS, DEVS noster, benedicat nos DE
 VS (Ecce personarum pluralitas) &
 metuant eum omnes fines terræ (Ecce uni-
 tas essentia.) In nouo, Vt in Baptismo
 Christi, Pater inquit, Hic est Filius meus dile-
 ctus, Filius conspicitur palam, stans in flumine,
 Spiritus sanctus manifesta specie insidet Filio,
 Matth. 3. Et 28. Euntes docete omnes gentes,
 baptizantes eos in nomine Patris & Filij &
 Spiritus sancti. (Ecce Trinitas in perso-
 nis) Pater, Filius, Spiritus sanctus (Et uni-
 tas essentia) in nomine. Ad Galat. 4. Quo-
 niam estis Filij DEI, misit DEVS Spiritum
 Filij sui in corda uestra, clamantem, Abba Pa-
 ter. Hinc B. HIERONYMVS instituit, ut
 post unumquemq; Psalmum dicatur, Gloria Pa-
 tri & Filio & Spiritui sancto.

In hanc reuelationem intueamur (inquit
 noster Philippus) & nostras cogitationes de
 DEO, & inuocationem nostram ab Ethnica,
 Turcica, Iudaica, & quidem Papistica seiunga-
 mus, & hunc æternum Patrem, qui se apud flu-
 uium Iordanem, primum propria uoce, deinde
 misso Filio suo IESV Christo, & ostenso quo-
 que Spiritu sancto patefecit, inuocemus una
 cum

cum Filio & Spiritu sancto, conditorem rerum
& opitulatorem. Sic quoq; Christus deducit
nos ad hunc patefactum DEVM cum Philip-
pus peteret monstrari Patrem, grauiter eum
obiurgat, & ab illa speculatione reuocat di-
cens: Philippe qui uidet me, uidet & Patrem
Ioann. 14. Non uult DEVM quæri uagabun-
dis speculationibus (uelle enim DEI profun-
da scrutari, est uelle ponderare flammam ignis,
flatum uenti mensurare, & reuocare præteri-
tum diem) sed uult oculos nostros defixos esse
in hunc exhibitum Filium, & dirigi inuocatio-
nem ad hunc DEVM æternum Patrem, qui se
patefecit misso hoc filio & dato Euangelio, &
qui nos propter hunc Filium mediatorem reci-
pit atq; exaudit.

DE DEO PATRE.

DEV S Pater est prima in Trinitate per-
sona, nostræ salutis prima caussa, qui
benedixit nos omni benedictione spiritali in
cœlestibus in Christo, & qui elegit nos ante-
quam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus
sancti & irreprehensibiles coram illo qui præ-
destinauit nos, ut adoptaret in Filios per IES-
VM Christum. Vocatur Pater, est enim Deus
nomen

nomen maiestatis, quo terretur omnis creatura: Sed qui audit nomen Patris, non terretur, sed magis prouocatur, ut DEVM accedat cum fiducia: Et consolatur quoq; in omnibus aduersitatibus, certus nimirum, quod habet Patrem, qui eum potest tueri ac iuuare non aliter ac Pater suos filios. Proinde D. BERNARDVS ita dicit: Oratio quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum mihi præstat fiduciam.

DE DEO FILIO.

DEVS Filius IESVS Christus secunda in Trinitate persona, est expressa et sufficiens imago inconspicui DEI, in qua relucet uoluntas Dei, & Patris in qua homo ceu in speculo, quid faciat, quod DEO placeat, contemplari potest. Ad Hæbreos primo: Splendor gloriæ: ut planè intelligas Filium sine ulla aliqua passione à Patre prodiisse, nihil imminutum, nec Patre ipso inferiorem, sicuti cum sole unà & radians fulgor exoritur: Vt SED VALIUS quoq; dicit, Sicut splendor à sole nunquam separatur, ita splendor Paternæ gloriæ, seu splendor Patris IESVS Christus à Patre est inseparabilis: Et expressa imago substantiæ

C

tiæ

tie illius, id est, Eiusdem naturæ & substantiæ formam signatam & expressam habet: Quem admodum Pater ipse per se constat, & nullius ad perfectionem indiget, ita quoq; Filius.

GREGORIUS Nysses intelligit per splendorem, unitatem, & per expressam imaginem seu figuram, ut habet translatio HIERONYMI uel uulgata, naturæ æqualitatem: nam prorsus Patri Filius par est & æqualis.

Christus uerus ac unicus DEI Filius est à DEO Patre sine initio genitus, uerus DEVS, non factus, sed qui fuit à principio æqualis Patri, Adæ, Abrahæ & alijs sanctis patribus ad redimendum genus humanum, primorum parentum lapsu perditum, in hunc mundum promissus & missus, uerus homo ex MARIA uirgine natus, propter peccata tollenda totius mundi, passus & crucifixus, qui tertia die resurrexit à mortuis, sedens nunc ad dextram DEI Patris, intercessor pro omnibus credentibus in illum, Vnde & uenturus est aliquando ad iudicandum uiuos & mortuos.

Psalmo secundo.

Dixit enim Dominus mihi, mi charissime Fili,
Hac ego progenitum te mihi luce tuli.

Matth. 17. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite:
Ioann. 1. In principio erat Verbum, id est, ab æterno

æterno fuit Verbum, uel in Patre erat Filius, ut exponit Carolus Bouillus. Christus namq; dicit: Ego sum in Patre & Pater in me est, Ioannis 14. Ad Roma. 9. Christus est super omnia DEVS laudandus in secula. Nulla discretio est: quia qui adorat Filium, adorat & Patrem, & qui seruit Filio, seruit & Patri, inquit Sedulius. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster IESVS Christus, DEI Filius, DEVS & homo est. DEVS est ex substantia Patris ante secula genitus. Quare uniuersa scriptura Prophetica & Apostolica magno cōsensu præcipit Christum adorari ac in ipsum confidere, tribuitq; ei potentiam infinitam, quod ubiq; adsit, inspiciat corda, exaudiat, & quod det iusticiam ac uitam æternam. Proinde precatur Ecclesia, dicēs, Christe eleyson, quæ precatio est professio diuinitatis, ut inquit noster Philippus: ut sit sensus, Christe, unice DEI Patris genite, quem de Virgine nasciturum mirificè sancti prædixerunt Prophetæ, Eleyson, id est, miserere.

Et homo est ex substantia matris in seculo natus: Hoc est, quod Ioannes dicit, Et uerbum caro factum est, id est, DEVS factus est homo ad Gala. 4. Natus ex uirgine, Esaia. 9. Christus extremè se humiliavit, ad Philip. 2. non euacuans substantiam, sed inclinans honorem,

ait SEDVLIVS. Verbum est Patris consi-
 lium, ideo oportuit uerbum incarnari, quod
 prædicaret sententiam & decretum Patris de
 remissione peccatorum: & istud uerbum est Fi-
 lius DEI, & iste Filius non communicatione,
 id est, prædicatione nominis, sed natura DEVS
 est, Hæc Bouillus. Cum igitur in Christo due
 nature sint, et quælibet habeat sua propria, ta-
 men quædam propria uni nature, non impe-
 diunt, quo minus adsit altera natura, quoniam
 due illæ nature sese in illa una persona Filij
 DEI circumdederunt, hoc est, in Christo diui-
 na natura unita est humanæ, ita ut ex utraq; na-
 tura unus fiat Christus, ex diuinitate uerus De-
 us, ex humanitate uerus homo. DEVS igitur
 & homo est Christus uerus Emanuel. Vniun-
 tur nature non commiscetur aut confundun-
 tur, sicut aqua & uinum commiscetur, ubi al-
 terum transit in alterum, accipitq; eius pro-
 prietatem: Sed sicut corpus & anima uniuntur,
 ita ut ex ambobus unus fiat homo, & tamen ani-
 ma non fit corpus, & corpus non fit anima: Sic
 diuinitas in Christo non fit humanitas, nec hu-
 manitas fit diuinitas, Sed quæq; retinet suam
 essentiam & proprietatem. Vnde Athanasius,
 Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed
 unus est Christus: Vnus autem non conuersione
 diuinitatis in carnem, sed assumptione humani-
 tatis

tatis in DEVM, id est, Christus non est diuisionem passus personæ: nam DEVS & homo unus est Christus, non alius DEVS & alius homo, sed omnino idem DEVS, & DEI Filius, ac homo & Filius hominis. Diuinæ naturæ propria sunt: Creare, ut Ioa. 5. Pater meus usq; operatur, et ego operor, id est, quæ pater facit, facit et filius similiter. Vitam reddere mortuis. Exaudire, ut Ioann. 14. Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Dare uitam æternam, ut Ioann. 6. Hæc est uoluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Item, Vbiq; adesse, protegere, gubernare, iuuare, Item leprosos sanare tactu, Cæcis lumen oculorum tactu restituere, Imperare uentis & mari, Tyrannidem dæmonum coërcere, Aliquot milia hominum paucis panibus faciare, & plura huiusmodi. Humanæ uero naturæ propria sunt, edere, bibere, dormire, ambulare, flere, pati, mori, quæ nunc Christo glorificato cessarunt. Quare Petrus disertè dixit, Christum passum esse in carne. Teneatur ergo discrimen naturarum, sed simul illud sciatur propter unionem personalem ueras esse has propositiones, DEVS est passus, crucifixus, mortuus, quanquam mori non potuit secundum deitatem, non enim lacera-

tur diuina natura, & ut D. AVGVSTINVS
 inquit, Verbum non percutitur lancea, tamen
 ex arcta ista unione utriusq; naturæ id fit, ut ue
 re dicas, DEVM passum, id est, hanc perso
 nam seu hunc hominem qui uere Deus est, qui
 passus est scilicet ea portione ubi fuit passibilis:
 nunquam enim patitur aut moritur diuinitas,
 ut antiqui quidam hæretici asseruerunt, diuini
 tatem in Christo doluisse, cum caro eius cruci
 affigeretur. Quare maledictum eum esse dicit
 AVGVSTINVS, qui fatetur diuinitatem
 in Christo esse passam, sermo. 6. de tempore.
 Idem sermo. 129. de tempore: Si quis dixerit
 atq; crediderit Filium DEI, DEVM fuisse
 passum, anathema sit. Item, Si quis dixerit atq;
 crediderit hominem IESVM Christum, homi
 nem impassibilem fuisse, anathema sit. Et serm.
 58. de uerbis Domini: Filius est æqualis Patri,
 non per rapinam, sed per naturam, forma quip
 pe serui accessit, non autem forma DEI reces
 sit. Item. Hæc assumpta est, non illa consumpta.
 Propter hanc dicit, Pater maior me est, Pro
 pter illam uero, ego & Pater unum sumus. V
 num sunt secundum id, quod DEVS erat uer
 bum, & minor est Patre secundum id, quod
 DEVS uerbum caro factum est. Quis est
 per quem factus est mundus? Respon
 de

de, Christus IESVS, sed in forma DEI. Quis est crucifixus sub pontio Pilato? Responde, IESVS Christus, sed in forma serui. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Responde, IESVS Christus sed in carne sola.

Verus homo ex uirgine natus: Quem S. Ambrosius ita alloquitur, dicens:

Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti uirginis uterum.

Propter peccata totius mundi tollenda passus & crucifixus: Passus est pro nostra salute, inquit Athanasius: & Symbolum Nycænum: Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.

Pugnauit pro nobis contra Sathanam, fortem, armatum, custodientem atrium suum, super quem fortior ueniens, arma eius, in quibus confidebat, abstulit & distribuit eius spolia, deuincens, prosternens & mundo eiciens illum singulari humilitate ac crucis ignominia. Nam huius uictoris insignia, quibus antiquum istum hostem debellauit, fuerunt flagella, corona spinea, arundo, crux, clauis & lancea. Vnde Theodolphus Aurelianensis Episcopus in quodam hymno:

Quo uulneratus in super
 Mucrone diræ lanceæ
 Ut nos lauaret crimine
 Manauit unda sanguine. Hoc est.

Christus pendens in crucis patibulo, ultra manus & pedes affixos, etiam uulneratus est acumine & cuspide lanceæ militaris, ex quo uulnere lateris manauit unda & sanguis, per quæ designantur duo Sacramenta, Baptismus, in quo lauamur à sordibus peccatorum nostrorum, Et cœna Dominica, id est, Sacramentum corporis & sanguinis domini nostri IESV Christi, quod traditum est, qui effusus est pro nobis in remissionem peccatorum.

Vt igitur memores simus celebris istius uictoriæ Christi, qua serpentis caput contriuit & à potestate ipsius nos liberauit, hortatur nos Fortunatus Episcopus in quodam hymno, dicens:

Pange lingua gloriosi
 Prælium certaminis,
 Et super crucis trophæo
 Dic triumphum nobilem,
 Qualiter redemptor orbis
 Immolatus uicerit.

Deus

DEVS enim humani generis salutem in ligno crucis constituit, ut unde Mors oriebatur, inde uita resurgeret, & qui in ligno uincebatur, in ligno quoq; uinceretur per Christum Dominum nostrum: Qui est

Dignatus hanc uilissimam
Pati doloris formulam.

Nulla enim despicabilior seu contemptibilior apud Iudæos habebatur mors, quam crucifixio. Quare sapientiæ 2. uocatur mors turpissima.

Qui tertia die resurrexit à mortuis:

Symbolum Nycœnum dicit, & resurrexit tertia die secundum scripturas (quod secundum scripturas) non quidem ociose neq; abs re appositum est: quoniam resurrectio Christi à mortuis ingens certe mysterium, difficilius cæteris nostræ redemptionis articulis, & tardius recepta atq; persuasa fuit mentibus humanis. Vnde & discipuli post multas manifestationes Christi à mortuis suscitati factas, post multa itidem argumenta, signa & indicia, quibus seipsum præbuit uiuum, adhuc subdubitarunt de illius resurrectione, ut iam in cœlum ascensurus exprobrauerit illis incredulitatem illorum: Irrisus igitur fuit Beatus Paulus ab Atheniensibus, cum ipsis resurrectionem mortuorum, & uer-

*ba vitæ ac salutis æternæ annuntiaret, Act. 17.
D. Ambrosius in quodam carmine gloriosum
triumphum Domini nostri IESV Christi de-
cantans, inuitansq; populum fidelem ad depro-
mendas Christo laudes ob gloriam suæ resurre-
ctionis, per quam infernum spoliavit, & inde
captiuos eduxit, inter cætera sic ait:*

**Quam deuorarat improbus
Prædam refudit Tartarus
Captiuitate libera
IESVM sequuntur agmina.**

*Per prædam intelligit totum genus hu-
manum.*

**Triumphat ille splendide
Et dignus amplitudine id est, Gloria,
Soli poliç patriam dignitate atque
Vnã facit rempublicã. excellentia.**

*Homines reuexit in cælos & Angelicæ so-
cietatis fecit participes, & hæc est illa una
Respublica.*

*Celebrat etiam Adam de S. Victore resurre-
ctionem Christi in quadam prosa, dicens:*

**Gelu mortis soluitur
Princeps mundi tollitur
Et eius destruitur
In nobis imperium.**

Dum

Dum tenere uoluit
In quo nihil habuit
Ius amisit proprium.

Ius principis mundi in hominē nihil est, nisi solum peccatum. Proinde dixit Christus Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, id est, instat iam hora passionis, Sathan me oppugnat, sed non me uincit, quia non habet in me quicquam, id est, non sum obnoxius morti, nec quicquam Diabolo debeo, sed ex obedientia erga Patrem, & dilectione erga genus humanum, uoluntarius passionem & mortem sustineo.

IDEM in alia prosa:

Vita mortem superat
Homo iam recuperat
Quod prius amiserat
Paradyfi gaudium.

Sedens nunc ad dextram DEI Patris. Sedere est regnare & iudicare et protegere quoq;. Ideo enim ascendit ut nos desuper defenderet, inquit Beatus Augustinus sermone 174. de Tempore.

Intercessor pro omnibus credentibus in illum. Vide Paulum ad Roma. cap. 8. Ioannem cap. 2. prioris Epistolæ. Etsi carnis assumptæ dispensationem perfecit, haud tamen suam in
nos

nos clementissimam sustulit animi affectionem,
 & intercedit pro nobis, inquit THEOPHILA.

Vnde & uenturus est iudicare uiuos & mor-
 tuos: uenturus est in gloria patris cum Angelis
 suis, & reddet unicuique secundum facta ipsius,
 Matthæi 16. Cum potestate magna & maiesta-
 te, Lucæ 21. Lege quintum caput posterioris ad
 Corinthios. ATHANASIVS ita dicit: Ad
 cuius aduentum omnes homines resurgere ha-
 bent, cum corporibus suis, & reddituri sunt de
 factis proprijs rationem: et qui bona egerunt,
 ibunt in uitam æternam, qui uero mala, in ignem
 æternum. Spectandum igitur illud iudicium
 tremendum, ad quod omnium producen-
 tur corpora, ut non animæ modo, sed corpo-
 ra quoque tale ferant præmium, qualia fuerant
 quæ gesserant per corpora, siue bona siue ma-
 la (Si bona, corona donatum iri: Si mala tor-
 mentis affici eos, qui hæc fecerant, asserit Apo-
 stolus) Hæc BVLLINGERVS.

Ad Roma. 14. In hoc Christus & mortuus
 est & resurrexit & reuixit, ut mortuis ac ui-
 uentibus dominetur. Act. 10. dicit Petrus, Chri-
 stus præcepit nobis prædicare populo, ac testi-
 ficari, quia ipse est, qui constitutus est à DEO
 iudex uiuorum & mortuorum. Ioannis 5. Neque
 enim pater iudicat quenquam, sed omne iudi-
 cium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium,
 sicut

sicut honorificant Patrem, Id est, Pater non
 apparebit hominibus in iudicio, sed Filius: Pa-
 ter erit occultus, Filius manifestus. In quo erit
 manifestus? in forma qua ascendit, Acto. 1. Hic
 IESVS qui assumptus est in cœlum, sic ueniet,
 quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum:

Impij uidebunt ipsum corpus quod percus-
 serunt lancea: Iuxta illud, Videbunt in quem pu-
 pugerunt: Latentem uero DEVM in corpo-
 re non uidebunt. Iuxta illud, Tollatur impius
 ne uideat gloriam DEI. Post iudicium uidebi-
 tur ab his qui ad dextram erunt. Hæc August.

Psalmo 96.

Nā uenit ecce Deus, uenit hūc ut iudicet orbē,
 Iustum iudicium iudicis huius erit.
 Diriget æquatis terrarum legibus orbem,
 Et fida populos dexteritate reget.

Sedebit super sedem gloriæ suæ, & con-
 gregabuntur ante eum omnes gentes: Tunc se-
 parabit pios ab impijs, quemadmodum Pastor
 oues ab hœdis, statuens oues à dextris, hœdos
 uero à sinistris. Pij dicet: Venite benedicti Pa-
 tris mei possidete regnum paratum uobis ab
 exordio mundi. Impijs: Ite maledicti in ignem
 æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis
 eius. Matthæi 25. Quare uobis semper ante ocu-
 los

los statuenda est, utraq; sentētia. Primum, ut à peccatis absterreamur, et precemur Dominum, ut nos seruet à uentura ira. Deinde ut ipsius gratia & misericordia, qui nos redemit, nihil dubitemus, sed uigilemus & parati simus semper, ut ipse nos monet, siquidem ignoramus qua hora uenturus est ad iudicium.

Psalmo quinquagesimo.

Rex superum princeps fortissimus ille deorum
 Incipiet tandem uerba tremenda loqui:
 Cuncta ut conueniāt terrarum regna uocabit,
 Regia qua fines utraq; solis habet.
 Et uirtute potens & maiestate uerendus:
 Adueniet deinceps nec taciturnus erit.
 Excelso è solio cœlum terrasq; uocabit,
 Vt populi causam iudicet ipse sui.

AVGVSTINVS serm. 31. de uerbis Domini, in 13 caput Lucæ, ita dicit: Crede quia uenturus est. Ista omnia quæ uides non erant. Christianus populus in toto terrarum orbe aliquando non erat. In Prophetia legebatur, in terra non uidebatur: modo autem & legitur & uidetur. Quare Propheta non dixit Psalm. 45. Vide filia & audi, sed audi & uide. Audi prædicta, uide completa. Christus promissus est & natus est: non fecerat miracula, promissa sunt & fecit. Nondum erat passus, prædictum est & factum

Etum est: Nondum resurrexerat, prædictum est & impletum est: Non ascenderat ad cœlos, prædictum est & impletum est: Sic & dies iudicij nondum est, sed quia prædictus est, & certe implebitur: An fieri potest, ut qui in tantis uerax apparuit, de die iudicij mendax sit? Fecit enim nobis promissorum suorum Chirographum, ut Daniel. 12. Ioann. 5. Actorum 17. 2 Corinth. 5. 1. Tessalonicens. 4.

DE DEO SPIRITV S AN C T O.

Spiritus sanctus est æternus cum Patre et Filio **DEVS**, nostræ salutis pignus & arrabō hereditatis, cui est eadem dominatus auctoritas, æqua uirtus, potestas atq; maiestas cum Patre & Filio: Paulus cap. 12. posterioris ad Corinth. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem **DEVS**: Qui operatur omnia in omnibus. Ecce quem primo loco spiritum uocat, secundo Dominum dicit, & tertio **DEVM**. Hæc Clichtoueus, quem locum ita quoq; intelligit Sedulius. Symbolum Nycænum cum tota sancta Ecclesia credit atq; fatetur, Spiritum sanctum cum Patre & Filio
simul

simul adorandum, ergo sequitur illum quoque esse uerum DEVM cum Patre & Filio, siquidem adoratio soli Deo debetur.

AUGUSTINVS sermo. 129 de Tempore: Si quis non dixerit Spiritum sanctum de Patre esse uere ac proprie, sicut Filius de diuina substantia, & DEVM uerum, anathema sit. Quod Spiritus sanctus non tantum à Patre, sed à Filio quoq; procedit, sicut habitus ab intimis exit præcordijs, satis apparet ex illo, cum Christus Spiritum sanctum post resurrectionem suam discipulis daturus insufflauit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum. Ioann. 20.

1. Officium Spiritus sancti est Sanctificare. Nascimur enim & sumus per peccatum prorsus prophani & impij. Nam peccati uenum diffusum est non per corpus tantum, quod ex immortali uitiosum, morbidum & mortale fecit, sed etiam corrumpit spiritum nostrum. Quia intellectus amisit notitiam DEI, ut quasi cæci in sole meridiano ambulemus: Voluntas sic est deprauata, ut perpetuo pugnet cum lege Dei, nec possit ei subdi: agimur itaq; malo spiritu, qui & delectatur peccato, & iudicium DEI odit. Quare Spiritus sancti officium est, hæc nature mala sanare, & prophanos animos illuminare, quod est, ex animis eximere securitatem

tem, et instillare timorem Dei, ut peccati fœditatem intueamur, & pœnas quoq; securis peccatoribus inflictas consideremus. Hac ratione tum fit ut peccatũ incipiamus odisse, et emendemus quæ hactenus impie sunt facta: Imo ut cupide postulemus à DEO, & gratiam præteritorum peccatorum, & facultatem uere obediendi uoluntati DEI. Etsi igitur peccatum sollicitare nos non cessat, tamen adiuti spiritu DEI, resistimus peccato, & id mortificamus: Accendit quippe in animis lumen nouum fidei, ut statuamus per Christum cõdonata nobis peccata, & placatum nobis Patrem in cœlis: Hæc S. LVTHERVS, in 3. cap. Iohelis.

2. Deinde Consolari, unde dictus est Paracletus, id est, Consolator. Nam ablato Christo tristamur, & uarijs molestijs atq; angustijs exponimur, propterea opus habemus consolatore, qui nos confirmet, conseruet & exhortetur, ne despondeamus animos, Sathana nos adorientem atq; infestante.

Hinc Adam de Sancto Victore in quadam prosa sic canit:

Quando uenis, corda lenis,
Quando subis, atræ nubis
Effugit obscuritas.

D

Denum

Demum Confirmare conscientias de ueritate uerbi, & de hæreditate in Christo accepta. Iuxta illud D. Pauli, Ipse spiritus DEI reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filij DEI, Roma. 8. Adam de S. Victore ita dicit:

Noua facti creatura
Te laudamus mente pura
Gratiæ nunc, sed natura
Prius iræ Filij.

Paulus ad Ephe. 2. Eramus natura Filij iræ, sed DEVS qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta conuiuificauit nos unà cum Christo.

SECVNDVS

LOCVS DE CREA-
TIONE.



CREATIO est operatio illa diuinæ potentie, qua DEVS omnia per uerbum condidit ex nihilo, ad conseruandum ea ac sustentandum: Testes sunt Moses Propheta Genes. 1. Cum dicit, In principio
(cum

(cum scilicet nihil adhuc esset creaturarum) creauit DEVS coelum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, Psalmo, 145. id est, uniuersas creaturas. Et Ioannes Euangelista cap. 1. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. DEVS fuit ab æterno DEVS, non tamen ab æterno actu creator. Est enim DEI eminentior appellatio quam creatoris, siquidem non suiipsius, sed creaturarum creator est: Hæc Carolus Bouillus. Omnia facta sunt à Patre per Filium in Spiritu sancto. Omnis creatura æqualiter est trium personarum, Teste Apostolo ad Rom. 11. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et Dauide, Psalm. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Verbum Domini Filius est, spiritus oris eius, Spiritus sanctus, ut exponit Basilius magnus. Et hoc uerbum medium est, per quod DEVS conseruat & sustentat creata, ut de illo testatur Magister Epistolæ ad Hebræos: Portans omnia uerbo uirtutis suæ.

Creauit autem DEVS cuncta præcipue in hunc usum, ut ex illis non solum cognoscatur, quod sit æternus & potens, qui creet, gubernet & conseruet omnia, uerumetiam ut inde glorificetur, ametur, colatur, atq; ut ei semper agantur gratiæ, qui suæ creaturæ adest, illam

D 2

susten-

sustentans, & sua immensa misericordia moderans, dans bona, adiuuans, perpetuoq; conseruans. Proinde de DEO semper bene speremus, & in aduersis non despondeamus animos, quasi nos sit derelicturus, sed retineamus spem, & ab ipso auxilium expectemus. Testimonia utriusq; testamenti adsunt, ut Psal. 32. Ecce oculi domini super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius: ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et Psalm. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore oportuno: Aperis tu manum tuam & implet omne animal benedictione. Matth. 10. dixit Saluator discipulis suis: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Et Paulus Act. 17. Per ipsum uiuimus, mouemur et sumus, id est, ut Philippus exponit, Per ipsum datur, sustentatur & fouetur uita nostra.

Creaturarum est triplex ordo, primus Spirituum seu Angelorum. Secundus beluarum & aliarum creaturarum. Tertius hominum.

Primus ordo.


Spiritus sunt duplices, boni & mali. Boni Spiritus sunt angeli. Est autem Angelus substantia spiritualis, non conflata ex elementis ut homo, incorruptibilis, ossa & carnem non habens:

Seu

Seu est spiritus creatus bonus, seruiens Deo & hominibus. Testis est Psalmus 148. Laudate eum omnes Angeli eius. Item autor Epistolæ ad Hebræos cap. 1. Vocans Angelos administratores spiritus, qui missi sunt in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis: Quibus uerbis audientium animos studet attollere, affirmans plurimam esse DEO de nobis susceptam curam, quando & Angelos qui uidentur præcellere, quæ conducunt ad nostram salutem, ut ministrarent, constituit. Hæc Theophilactus. De officio seu ministerio Angelorum erga pios præclara & multa in scripturis testimonia extant. Est etiam magna animarum dignitas, ut D. Hieronymus inquit, quod unaquæq; ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum habeat deputatum. Hocq; testatur regius Propheta Psalmo 91. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in uisceribus tuis, in manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Angeli sunt creati ad imaginem DEI: an uero ante uel post hominem creati sunt, incertum esse quidam uolunt. AVGVSTINUS uero lib. 11. cap. 9. de ciuitate DEI, scribit, Angelos ante hominem, imo ante solem, lunam & stellam esse creatos, pro testimonio adducens Psalm. 148. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes


Angeli eius: laudate eum omnes uirtutes eius. Laudate eum sol & luna: Laudate eum omnes stelle & lumen. D. HIERONYMUS in primum caput Epistolæ ad Galatas, asserit Angelorum naturam esse mutabilem, ut in peiora conuerti ex se possint, gratia sint tantum stabiles: nam DEI solius natura est immutabilis, qui per Prophetam Malachiam cap. 3. de seipso ita dicit: Ego DEVS uester & non mutor. De quo Psalmista Psal. 101. Tu idem ipse es. Quod uero Angeli qui boni uocantur non fuerint lapsi, ascribendum est misericordie DEI, qui eos seruauit, alios namq; cum desereret, & liberæ eorum uoluntati ex creatione inditæ relinqueret, peccauerunt, & sic ad inferna sunt detrusi: quare non DEVS causa fuit lapsus malorum spirituum, sed libera ipsorum uoluntas, qua potuerunt æquè faciliter bonum & malum amplecti.

Mali spiritus seu angeli qui primum boni sunt creati, sed per superbiam lapsi, Esaie. 14. Et sic mali facti insidiantur cunctis creaturis DEI, suntq; autores omnium malorum, regunt ac retrahunt impios pro libidine ut propria mancipia ad omnis generis flagitia, omnia in mundo sursum atq; deorsum miscentes, non tamen nisi quantum DEVS permittat, ut testatur historia Hiob, & grex porcorum precipitatus



Fragment of text from the adjacent page, including characters like 'i', 's', 't', 't', 'b', 'n', 'a', 'a', 's'.





faciles ac prompti ad delinquendum. Per carnem intellige quæ post transgressionem per peccatum est inhabitata, inquit Methodius in sermone de Resurrectione.

Causæ peccati sunt uoluntas Diaboli, qui est peccati autor & pater, & uoluntas hominis, auertens se à uoce DEI, de prohibitione esus pomi, Gene. 3. Quare Ecclesiasticus inquit cap. 25. A muliere initium peccati, & propter illam morimur omnes. Et Basilius magnus, Principium, inquit, ac radix peccati in nobis & in nostra potestate, quibus si à malo abstinuissimus, nihil omnino graue pati licebat.

Quare DEVS non est causa peccati, nec uult peccatum, nec impellit uoluntates ad peccandum, nec approbat peccatum, sed uere & horribiliter irascitur peccato, ut toties suo uerbo, assiduis pœnis & calamitatibus mundi, comminatione item iræ æternæ declarat: Imo iram aduersus peccatum maxime ostendit Filius DEI, qui apparuit ut uictima fieret pro peccato, & ostenderet Diabolum esse authorem peccati, & sua morte ingentem iram patris placaret: Vnde Augustinus in quodam sermo. ait, Quam dura sit peccati conditio, probat certè remedij magnitudo.

Quod DEVS non sit author peccati aut malorum, nec etiam peccatum res condita aut ordinata

ordinata à DEO, sed horribilis destructio diuini operis & ordinis, Testimonium perhibent scripturæ, ut Gene. 1. Vidit DEVS omnia quæ fecerat, & erant ualde bona, id est, DEO placencia, ordinata, congruentia ad ordinem in mente diuina, & ad certos usus profuturos homini condita. Et Ioan. 8. Quando mendacium loquitur Diabolus ex proprijs loquitur, quia mendax est & mendacij Pater, id est, primus fons et causa mendacij, id est, peccati, quod libera uoluntas Diaboli peperit.

Testantur quoq; diui Patres, quod DEVS peccatum non facit aut malum fieri uult, imo prohibet peccatum, odit & punit temporaliter & æternaliter. Nam est DEVS non uolens iniquitatem, Psalm. 5. id est, uere & non simulate odit peccatum. Parce igitur, ait Basilius, diuinam incusare prouidentiam, nec DEVM mali authorem dixeris. Peccator & homo duo sunt nomina, unum fecit DEVS, alterum Diabolus. Hæc Augustinus homilia 6. Verum quod quosdam excitauerit ad faciendum malum seu peccatum, ut Pharaonem in quo ostensurus erat potentiam suam, Exo. 9. Et Medos, ut paruulos sagittis interficerent, Esaie. 13. intelligatur permissiue, non quod Deus in homine causet maliciam: nam ex suo iusto iudicio permittit quosdam ruere in peccatum propter præcedentes

cedentes iniquitates, ut ad Romanos 1. Tradidit eos DEVS in reprobum sensum. DEI enim à quouis secessio siue destitutio in sacris literis traditio nominatur, ut inquit Theopbilactus. Et SEDVLIVS. DEVS neminem tradit sed relinquit, nec adiuuat eum qui peccare pergit. Et hoc est indurare, excœcare, ut de Pharaone scriptura dicit, tradere in reprobum sensum, hominem sibi ipsi relinquere, seu in proprio sensu & iudicio carnis dimittere, quæ est ipsissima induratio: quia sic auersus à uero lumine, graditur uijs suis, id est, de uijs, non potest nõ continue in tenebras ire et deficere, ac fieri deterior, ut in impijs cernitur. Hinc D. AVGVSTINVS de gratia & libero arbitrio dicit, Quod DEVS operatur in cordibus hominum ad insinuandas eorum uoluntates quocunq; uoluerit, siue ad bona, pro sua misericordia, siue ad mala, pro meritis ipsorum.

DEVS operatur malum pœnæ non malum culpæ: nihil enim accidit homini nisi uolente & agente DEO, & non dicitur malum proprie sed abusiue. Nulla enim DEI creatura mala est, sed tantum peccatum malum est. Est enim afflictio, quæ peccatori ut flagellum accidit, bonum quiddam: quia est iusta uindicta & uindex iusticia. Dicitur autem malum iuxta sensus patientis, cæterum est bonum, id est, bona iusticia,
iuxta

*iuxta rationem facientis. Hæc Rupertus Tui-
censis de uoluntate DEI, capite 25. Et ut Basi-
lius Magnus dicit: DEVS est causa mali sensus,
id est, calamitatum, quibus ut medicus grauibus
morbis, ita malitiæ hominum medetur.*

*D. Hieronymus in 12. Caput Hieremie:
Quicquid, inquit, in mundo uel bonorum acci-
dit uel malorum, non absq; prouidentia DEI
& fortuito casu accidit, sed iudicio DEI. Et in
Caput 18. Hieremie: Creans malum, id est, ma-
liciam seu afflictionem, non quod per se malum
sit, sed quod patientibus malum esse uideatur:
Ut si pacem intellexeris eam quæ ex bellorum
fœdere sequitur, & malum dicas labores qui
bellum gerentes sequuntur, nempe uigilias, su-
dores, uulnera, cœdes, hostium captiuitates,
redactiones in seruitutem, miserabilia capti-
orum spectacula, deniq; quæcunq; tristia in bellis
eueniunt, dico iusto DEI iudicio fieri aduersus
eos, quod ob bellorum uaria crimina multa
sunt digni. An tu non uis flagrasse Sodomam
post impietates illas atq; flagitia? An non ceci-
disse Hierosolimam & templū desolatum post
horribilem in dominum crudelitatem? Ciuita-
tum igitur interitus, terræ motus, inundatio-
nes, exercituum clades, naufragia, et omnes de-
niq; hominum calamitates, siue ex terra, siue ex
mari, siue ex aëre, siue ex igne, seu quacunq;
nascun-*

nascentur causa, ad homines lapsos in sobrietatem reducendos eueniunt, ipso DEO publicis pœnis publicam castigante iniquitatem.

Malum itaq; propriè tantum est peccatum, hac uere dignum appellatione, quod in nobis existat, & ex nostra proueniat optione: Reliqua uero quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos & fortiores in uirtute reddendos, ut patet de Hiob Cap. 1. Partim ad castigandos in peccata uaria motus, ut patet de Dauide rege. Rursus autem aliud ex iusto DEI iudicio malorum, hoc est, pœnarum genus prouenire cognouimus, ad homines in uitium pronos sanctiores faciendos, ut patet de Dathan et Abiron, Num. 16. Quos hiatus terræ uiuos deuorauit, qui quanquam propterea nihilo meliores euadant, attamen reliquos exemplo cautiore ac prudentiores reddunt. Quare nemo pius dixerit aliquod DEI iudicium esse malum uel peccatum, quia iustus est dominus & iudicium eius rectum, Psalm. 118. In quo non est iniquitas, sed mera bonitas.

Proinde cum peccatum peccato punit, (est enim peccatum interdum pœna peccati, ut inquit Augustinus Sermo. 47. ad fratres in Erëmo) iudicat, & cum iudicat non operatur iniquitatem.

Cum igitur DEVS non sit causa peccati,
nec

nec uelit peccatum, sequitur esse contingentiam, hoc est, non omnia quæ fiunt necessario fieri. Cuius causa est nostrarum actionum libertas uoluntatis, ex qua possunt homines nunc in has, nunc in illas actiones incidere, in rebus rationi subiectis. Nisi enim concederetur aliqua libertas uoluntatis in homine, etiam nunc post lapsum, deligendi scilicet ea, quæ sunt subiecta rationi & nostræ uoluntati, & faciendi quoque externa opera mandata lege DEI, non posset DEVS ab illa absurditate excusari, quæ est dicere, DEVM esse authorem peccati.

Quotuplex est peccatum?

Peccatum est quintuplex, Originale, Actuale, Veniale, Mortale, & Peccatum in Spiritum sanctum.

DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum originis est corruptio nature hominis, quæ efficit ut nascamur filij iræ & peccatores, adeo etiam quod nequeamus uere obedire legi DEI, nec esse sine peccato. Proinde à quibusdam definitur Peccatum originis, inclinatio uel procliuitas hæreditaria ad peccandum. Vt Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus

tatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, ubi non matris sed suum peccatum Propheta deplorat. Ad Ephe. 2. Et eramus natura filij iræ, hoc est, uerè & propriè secundum Theophilactum. Non est enim homo, qui non peccet, id est, reus sit & habeat peccatum rem malam atq; damnatam. In omnes enim propagatum est malum quod est peccatum. Dicente Augustino Sermo 49. de tempore, Peccato carens nemo uiuit quantumlibet iustus, nec infans unius diei, non ex eo quod commisit, sed quod contraxit. Proinde dicens Apostolus Roma. 5. Per unum hominem peccatum in mundum introiisse, non imitationem, sed generationem intelligit. Sicut enim à muliere initium peccati fuit, sic & initium generationis à uiro est, prior enim uir seminat, ut fœmina pariat, hinc infantes omnes originali peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum resoluantur: Nam eo labente, uel qui de ligno nihil edissent, suo crimine mortales sunt facti, perinde ac ipsi forent peccato obnoxij, quia ille peccasset. Infantes utiq; in suis operibus innocentes sunt, nihil secum, nisi quod de primo homine traxerunt habentes, quibus propterea gratia CHRISTI est necessaria, ut in CHRISTO uiuificentur, qui in Adam mortui sunt, ut quia inquinati sunt gene-
E ratione,

ratione, purgentur regeneratione: Hæc A V-
 GVSTINVS Sermone 7. de uerbis Apostoli.
 Si enim tantum actualia delicta essent peccata,
 unusquisq; tantum reus esset sui facti. Sed post-
 quam aperte dicat Apostolus nos reos esse
 propter delictum Adæ, testatur aliud quoddam
 in natura peccatum esse propter delicta actua-
 lia, & hoc est peccatum istud originale. Cuius
 mentionem faciens Propheta, dicit, Omnem ho-
 minem esse mendacem, id est, non recte de
 DEO sentire, dubitare de DEO, contemnere
 DEVM, odisse iudicium DEI, nec satis iram
 eius metuere, non cōfidere ipsius misericordie,
 & si quid est huiusmodi: Quæ mala omnia hæ-
 reditaria propagatione ex uiciata natura Adæ
 concepimus.

DE PECCATO ACTUALI.

Peccatum actuale est fructus uiciose natu-
 ræ seu effectus peccati originis, nempe om-
 nis affectus, omnis cogitatus, omne dictum ac-
 factum contra legem DEI, ut saluator dicit,
 Matthæi 15. Ea quæ proficiscuntur ex ore, ex
 ipso corde egrediuntur, quæ impurum reddunt
 hominem. Nam ex corde exeunt malæ cogita-
 tiones

tiones, cœdes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia, & id genus alia.

DE PECCATO VENIALI.

Peccatum ueniale est illa ipsa infirmitas nature humanæ, ipsi mali cogitatus, uicioſiſq; affectus, qui manent in Sanctis, sed postquam ipsis repugnant, ne in externa flagitia prorumpant, quod est iudicium fidei existentis adhuc in illis, & aliquo modo suam infirmitatem agnoscunt & deplorant, & expauescunt agnitione iræ DEI aduersus peccatum, & petunt condonationem, & Spiritus sancti auxilium, fiunt illa peccata ipsis uenialia, id est, condonantur illis, & accipiunt ueniam, propter fidem IESV CHRISTI, & sic manent in gratia, & retinent Spiritum sanctum: Alias omnia peccata sunt mortalia, quæ fiunt contra legem DEI, non repugnante conscientia per fidem.

Proinde Apostolus ita hortatur, ne peccati potentie ac potentatui assentiamur, dicens: Ne regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates eius, ad Roma. 6. Id est, ne dominetur uestri peccatum,

E 2

sed

sed fortiter ipsi resistite, ne ab illo tandem uin-
camini ad externa flagitia perpetranda: Iuxta
illud Augustini Homilia 21. Inest peccatum cum
delectaris, regnat si consenseris. Qui uero pec-
catis indulgent, & sic a gratia recedunt, agen-
tes nimirum contra legem DEI, & contra con-
scientiam (quam bonam atq; puram esse postu-
lat Euangelium) nec ulterius reputantur iusti:
certum est enim illos non manere in gratia, nec
retinere fidem, iusticiam, & Spiritum sanctum,
imo ipsos nisi resipiscant sequitur damnatio.
Pro exemplo est Rex David, qui si motum re-
pressisset, quo incitabatur ad committendum
adulterium, fuisset tantum peccatum ueniale,
quia retinisset Spiritum Sanctum repugnan-
tem illi motui. Huic uero postquam indulgit, il-
lum non reprimens, peccatum factum est mor-
tale: Sed postq̄ resipuit, & ad DEVM redijt
contritione & fide, quæ est fiducia misericor-
diæ DEI, propter Filium suum promissæ, &
sibi petijt ignosci, seq; recipi & sanari, dicens:
Peccaui, condonatum est illi delictum, & quod
mortale erat, factum est ueniale: Iuxta illud E-
zech. 33. Cum recesserit iustus à iusticia sua, &
fecerit iniquitatem, morietur in ea: Et cum re-
cesserit impius ab impietate sua, & fe-
cerit iudicium & iusticiam, ui-
uet in ea.

DE

DE PECCATO MORTALI.

Peccatum mortale in genere est defectus, uel inclinatio uel actio contra legem DEI, offendens DEVM, non remissa, sed iam iram DEI promerens & æternas pœnas.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTVM.

Peccatum in Spiritum sanctum est animo obstinato contra conscientiam damnare Euangelion & opera eius, quod non agnitum, neq; in hoc, neq; in futuro seculo potest remitti, Matth. 12. Pro quo etiam non est orandum. 1. Ioannis 5. Scilicet dum pertinaciter defenditur, tunc semper manet irremissibile, agnitum uero potest remitti: nam uiuentibus hic, non est neganda gratia. DEVS enim non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Est etiam Peccatum in Spiritum sanctum desperatio de gratia & misericordia DEI, finali impœnitentia adiuncta, cum agitur ex certa malicia. Pro exemplo est Cain, cum dixit, Maior est iniquitas mea, quam ut ueniam merear.

Quem D. BERNARDUS hisce uerbis arguit,

E 3

dicens,

dicens: Mentiris Cain: Maior est enim DEI pietas atq; misericordia, quam quæuis hominum iniquitas. Omnia enim nostra crimina erga gratiam DEI æstimanda sunt, quasi una gutta respectu totius maris. Pretiosus enim sanguis agni immaculati Domini nostri IESV Christi tanti precij, tantæq; efficacitæ est, ut sufficiat pro expiatione peccatorum omnium totius mundi: Præpõderat enim misericordia in Filio præstita peccatis nostris. Quare nullum peccatum est tantum, quod ad Christum confugiendi & resipiscenti non remittatur.

QVARTVS

LOCVS DE LIBERO ARBITRIO.

LIBERVM arbitrium à Theologis diuiditur in Liberum arbitrium ante lapsum, quod uocāt perfectum, & in Liberum arbitrium post lapsum, quod imperfectum appellant atq; seruum.

DE LIBERO ARBITRIO ANTE LAPSUM.

Liberum

Liberum arbitrium ante lapsum fuit plena
 Lira libertas apprehendendi tam bona
 quam mala, tam seruandi præcepta DEI, quam
 non seruandi, pro libera uoluntate in creatio-
 ne homini indita diuinitus: Quale adhuc hodie
 sancti Angeli habent. Istud testatur Ecclesiasti-
 cus cap. 15. dicens, DEVS ab initio creauit ho-
 minem, & reliquit illum in manu sui consilij,
 adiecit mandata sua, Si uolueris ea seruare, con-
 seruabunt te, apposuit tibi aquam & ignem, ad
 quod uolueris porrige manum tuam, coram ho-
 mine uita & mors, bonum & malum, quod ei
 placuerit dabitur illi: Id est, fuit in hominis po-
 testate tendere ad bonum & declinare à malo,
 ut inquit Lira. Habuit autem ad hoc duo ceu
 instrumenta uel media, illam libertatem exer-
 cendi, scilicet rationem, iudicantem quæ bona,
 quæ mala, & uoluntatem obtemperantem uel
 repugnantem rationis iudicio: Vnde ex illa li-
 bera uoluntate Adam & benè & malè agere
 potuit, amare Deum & odisse DEVM, serua-
 re mandatum DEI & non seruare. Testis est
 Augustinus Homilia 12. dicens: Sic erat consti-
 tuta uoluntas primorum parentum, sic fabrica-
 tum erat liberum arbitrium, ut si nollet homo
 consentire serpenti, discederet serpens in sua

falsitate confusus, & remaneret homo in domino creatore firmatus. Proinde postquam mandatum DEI fuit transgressus, seipsum diuinæ naturæ participatiōe spoliāns, amisit illam liberam uoluntatem, ut postmodum humana uoluntas sine Spiritus Sancti auxilio efficere non potest spirituales effectus, quos DEVS postulat, nempe uerum timorem DEI, ueram misericordiæ DEI fidutiam, ueram dilectionem DEI, tollerantiam & fortitudinem in afflictionibus, in aduēda morte, et si quid est eiusmodi. Nam si natura hominis non esset corrupta peccato, haberet clariorem & firmiorem de DEO noticiam, non dubitaret de uoluntate DEI, haberet uerum timorem, ueram fiduciam, ueram dilectionem, deniq; præstaret integram obedientiam legi, hoc est, in natura hominis esset lux, firmiter statuens de DEO, & essent motus omnes consentientes legi DEI. Nunc autem natura hominis oppressa morbo originis, plena est dubitationum de DEO, nec uerè timet Deum, nec uerè confidit ei, nec ardet dilectione, & multæ flammæ sunt uiciosorum affectuum. Hæc Melanchthon.

Cum igitur manifestum sit naturam hominis, quæ est per peccatum corrupta, nequaquam satisfacere legi DEI, Quæritur quid & quantum facere uoluntas possit: Discendum est
illud

illud ex altera parte huius loci uidelicet de Libero arbitrio post lapsum, quod diuiditur in res spirituales quæ pertinent ad DEVM, & in res ciuiles seu externas subiectas rationi.

Liberum arbitrium post lapsum in rebus spiritualibus, est quædam uoluntas appetens bona seu spiritualia, quæ tamen uel assequi uel exequi non potest, nisi accesserit Spiritus sanctus, & iuuerit nostram uoluntatem, nostrosq; conatus: Iuxta dictum Christi, Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere. Est enim sine adiutorio DEI infirma uoluntas hominis, ut inquit AVGVSTINVS sermo. 7. de uerbis Apostoli. Et sermo. 191. de Tempore: Liberum arbitrium sic confitemur, ut dicamus nos semper DEI indigere auxilio. Testis est D. Paulus ad Roma. 7. dicens: Noui quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio, q. d. Est uoluntas, sed non est effectus, quia carnalis consuetudo uoluntati resistit: adeo enim natura mea corrupta est, ut me ui quadam ad mala pertrahat. Et cap. 8. Caro legi DEI non subditur, siquidem ne potest quidem. Idem hoc testatur Episcopus Hilarius, dicens: Imbecilla est per se aliquid obtinendi humana infirmitas, & hoc tantum nature sue officium est, ut aggregare se in familiam DEI & uelit & cœperit: Diuina

ne uero misericordiae est, ut uolentes adiuuet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat, ex nobis autem initium esto, ut illa perficiat. Quare Paulus dicit ad Philippen. 2. DEVS est, qui operatur in uobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate, id est, DEVS ad recte uiuendum nobis opem laturus est, & si nullius alterius rei gratia, ob id saltem, quia sic uelit. Hæc Theophilactus. Quare ubiq; precatur Apostolus Ecclesijs ad quas scribit, ut DEVS, quod coepit in illis bonum, perficiat. Sequitur inde nostram uoluntatem nostrosq; conatus in rebus spiritualibus, etsi adesse debeant, nihil posse, tamen nisi accedat prius Spiritus sanctus, & iuuet istos nostros conatus, qui adiuti, fit, quod sequantur eos effectus, ad suscipienda perficiendaq; spiritualia, qualia sunt, timere DEVM, fidere DEO, diligere DEVM, inuocare DEVM, proximo benefacere, illum non prosequi odio, non ledere ipsum uerbis ac factis, agere poenitentiam de peccatis, non querere uindictam, non sectari auaritiam, quæ uel AVGVSTINO teste, est nouerca iusticiæ, & radix omnis mali. Hæc & his similia in nobis operatur & perficit DEVS. Si Deus: ergo nõ est in nostra potestate aut in uiribus nostris: Inuanum ergo gloriatur quis, in hac parte, arbitrij libertatem. Et hanc ob causam Pelagij errorem

rorem damnat uenerabilis Beda, lib. 2. cap. 8. expositionis suæ in librum primum Ezræ prophætæ, ubi Liberum arbitrium tollit, dicens: Neq; ullum Pelagius in domo DEI habet locum, qui se suosq; persuadebat libertate proprij arbitrij, uel liberari à malis, uel confirmari posse in bonis. Deniq; Apostolus ad Rom. 8. ita dicit, Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt Filij Dei, id est, Qui habent Spiritum sanctum illi possunt præstare quod Filios Dei decet, nempe Dei Patris mandata cum gaudio suscipere & exequi: Tamen hæc omnia ita præstamus, quod semper sint tecta aliqua infirmitate, quam DEVS libenter dissimulat propter filium suum amissæ iusticiæ restauratorem.

Liberum arbitrium post lapsum in rebus ciuilibus seu externis rationi subiectis, est uoluntas efficax aliquo modo rerum externarum, etiam sine renouatione spiritus, quæ tamen à Diabolo possunt impediri Deo permittente. Nam donec ratio atq; uoluntas in hominibus manent (manebunt autem donec fuerint homines) non cessabit Liberum arbitrium in rebus externis ab hominibus perficiendis, ut illud agere, uel non agere, ambulare uel non ambulare, item non occidere, non mœchari, non facere furtum, non dicere falsum testimonium, & id genus alia: Quam ciuilem iusticiam DEVS

no 13

non solum exigit, sed horrendè quoq; punit transgressores, ut Historiæ cum scripturæ tum mundi quoq; testantur: Paulus dicit, Gala. 3. Lex est data propter transgressionem: Et 1. Timoth. 1. Lex iusto non est posita, sed in iustis, & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, homicidis, mendacibus, & cæteris male agentibus.

Cum igitur aliquo modo in nostra est potestate, frenare carnem & civilem hanc iusticiam præstare, id est, externa uel bona uel mala opera uel facere uel omittere (sed impeditur hæc libertas per Diabolum, qui corda ad peccandum agit & propemodum cogit) Orandus est ergo DEVS, ut nos iuuet, & cœlestia dona nobis tribuat, & Satanam ad orientem nos depellat.

QVINTVS
LOCVS DE LEGE AC EVAN
GELIO, DE DISCRIMINE LE
gis & Euangelij, de partibus
Euangelij, de Satisfactione,
& de discrimine Ve
teris ac Noui
testamenti,

Prima

PRIMA PARS HVIVS
LOCI.

DE LEGE.



LEX DEI est doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos esse, & quæ facere quæ omittere oportet, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuncians irasci Deum, & punire æterna morte non præstantes perfectam obedientiam: Hæc Melanchthon. Est igitur considerandum hoc discrimen. Humanæ leges tantum postulant aut uetant externa opera, at lex Dei non tantum requirit externa facta, sed præcipit, ut natura integrè Deo obediat, firmam de DEO noticiam habeat, uerum & perpetuum timorem, firmam fiduciam DEI, & amorem ardentem. Ideo dicit Apostolus: Lex est spiritualis, id est, non tantum politica sapientia, præcipiens de externis actionibus in uita civili, sed est longè alia doctrina, flagitans motus spirituales, firmam de DEO noticiam, ardentem atque perfectam dilectionem, secundum uerba saluatoris, citantis legem quæ dicit: Diliges Dominum DEVM tuum, ex toto corde, ex tota anima,

anima, & ex omnibus uiribus tuis. Item, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

DE VSV LEGIS
SEV CUR DATA SIT
LEX?

Vsus legis est triplex. Primus est pædagogicus seu politicus. Vult enim DEVS coherceri disciplina omnes homines etiam non renatos, ne externa committant delicta: Iuxta illud Pauli, Lex iniustis est posita, ut coercean- tur scilicet, ne licentius peccent, & in omnis generis uitia & scelera dilabantur, sed ut honestè uiuant, & disciplina quadam gubernentur, quæ ut seuerè defendatur, præfecit DEVS humano generi magistratus, ut coercean- tum furores, & puniant supplicijs. Secundum illud Deutero. 19. Auferes malum ut audientes reliqui timorem habeant, non miserearis eis: Proinde homo homini stulta miseratione parcit, cui DEVS parcendum non præcepit. Et habet hic legis usus suas commoditates: efficit enim ut pacificè & tranquillè in hoc sæculo uiuamus cum honestate.

Secundus & præcipuus usus legis est, ut ostendat peccatum, accuset, perterrefaciat & damnet

damnet omnes homines in hac corruptiōe nature. Est enim immutabile iudiciū Dei, opprimēs eterna ira omnes, qui non liberantur per agnitionem filij DEI. Vnde istud Pauli ad Roma. 3. Per legem agnitio peccati. Nunc uerò absq; lege iusticia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & Prophetarum. Iusticia uero DEI (qua scilicet DEVS iustos nos efficit) per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes eos qui credunt. Quare si terret lex, addenda tum est uox Euangelij, quæ monstrat agnum DEI, tollentem peccata, ac reuelat inenarrabilem misericordiam DEI, qui cum uere irascatur peccato, iudicat, id est, damnat peccatum, sed tamen uult liberare credentes in Filium, quem fecit uictimam, ad quem fugiamus, si lege terremur. Conclufit enim DEVS omnes sub peccato, ut omnium misereatur. Et hæc est illa iusticia DEI, nempe sanctificatio per fidem & remissio peccatorum, ut ait SEDULIVS presbyter: Quam si DEVS dederit, ne ambigas de salute tua ô homo inquit Theodoretus.

Tertius usus legis est in renatis & fide iustificatis, qui sunt liberati à lege, id est, à maledictione & damnatione legis, seu ab ira DEI, quæ in lege proponitur, scilicet, si fidem retinent & fiducia DEI repugnant peccato, & uincunt

uincunt terrores peccati. Interim tamen docenda lex est, quæ reliquias peccati iudicet, ut crescat agnitio peccati & pœnitentia, & simul sonet Euangelium de Christo, ut crescat fides. Sumus iusti fide propter Filium DEI, tamen quod ad obedientiam attinet, manet lex, uidelicet, quia manet ordinatio diuina, quæ docet certa opera, in quibus uult DEVS ut iustificati exerceant obedientiam.

DE IMPLETIONE LEGIS.

IMPLETIO legis est perfecta satisfactio qua & animo consentiente & externis operibus satisfit legi: sed quia hoc nemo præstare potuit, ideo accessit Christus, & legem ex suo officio à Patre sibi delegato pro nobis ad iusticiam in æternum durantem impleuit, donato simul nobis Spiritu sancto, ut uere timeamus DEVM, illi fidamus, illum diligamus & proximum: Quanquã non sine magna infirmitate, tamen illam DEVS boni consulit propter Filium suum perfectum legis impletorem. Cum igitur consideramus quanta sit miseria humani generis oppressi peccato, ira DEI & morte, & intelligimus uocẽ legis esse sententiam

tiam, uinculum, testem & nunciam ingentis illius iræ, semper è regione aspiciamus Filium DEI, & consideremus hostiam, quæ sola sustinuit iram pro nobis, subiit onus legis & placauit Patrem, quod beneficiū eius exuberat supra peccatum. Testatur illud Apostolus Rom. 8. dicens: Etenim quod lex præstare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc DEVS proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxia præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum: Hoc est, Quæ lex facere nitebatur, ea Christus nostri causa est executus, ille quidem certauit, nos uero fruimur uictoria, eoq; nobis cauendum erit, ne labamur, id est, ne incedamus secundum carnem, ne sapiamus quæ sunt carnis. Nam tametsi Christum audimus uictoria nos condonasse, haud tamen erit in pristinos relabendum errores, quin lauacri gratia tutanda: Quandoquidem leuior nobis hoc tempore futura sit, quam antea colluctatio. Erudite hoc dictum Pauli atq; copiosè exponit D. AVGVSTINUS Sermo. 6. de uerbis Apostoli. Summa Christus pro nobis legem impleuit, ut per ipsum reputaremur legi satisfecisse: non secus nobiscum egit Christus, ac alius quispiam qui morti dam-

F natum,

natum, insons ipse & innoxius, eximat, ne capite ille plectatur, malens ipse pro eo mortem obire. In se itaq; Christus mortem assciuit, quia in ligno pependit & soluit eandem, quæ haud dubie nobis impendebat pro lege non adimpleta, cum ipse nil esset subiectus, ut qui legem impleuerit & peccati sit expers.

Postremo iubemur nos quidem implere legem, id est, seruare mandata DEI, Verum illa impletio prorsus est infirma atq; imperfecta: quare nequit DEO opponi pro iusticia, tamen placet DEO propter Christum mediatorem, qui illam nobis meruit, & quam in nobis format Spiritus sanctus ad exhibendam nostram ingratitude DEO pro iusticia per meritum Filij sui accepta, & ut alias quoq; nostra impletione ad Euangelij doctrinam inuitemus.

DE ABROGATIONE LEGIS.

A Brogatio legis ferè idem est quod impletio. Est enim legis abrogatio translatio sub gratiam: iuxta illud Gala. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio: Abrogata est maledictio,
Tyrann

Tyrannis, Dominium & damnatio legis per Christum: retinemus tamen decalogi præcepta, non propter Mosen, sed propter mutuum consensum legis naturæ atq; decalogi. Præcepta enim prioris tabulæ consentiunt cum hac naturæ lege, timere DEVM, colere DEVM, fidere DEO, diligere DEVM, inuocare DEVM. Præcepta posterioris tabulæ cum hac naturæ lege consentiunt, Neminem lædere, nemini obesse, aut male uelle.

Abrogata est lex, non ut non fiat, sed ut non facta non possit reum damnare, persolvente alio scilicet Christo, & ius adimente exactrici legi, atq; ut fieri possit, per Christum tamen inhabitantem, circumcidentem corda nostra per fidem & purgantem palmites, Ioan. 15. Quare optime dixit Tertullianus in libro de uelandis Virginibus: Debemus omni tempore incedere memores legis. Hucq; pertinet doctrina de libertate Christiana, quæ est ipsissimus effectus abrogatæ legis. Est enim Christiana libertas, qua Christus nos liberauit ab ira æterna, à seruitute ac execratione legis, à iure peccati, mortis & Diaboli, adeoq; ab omni externa obseruatione, in negotio iustificationis coram Deo, quæ gratuitò datur credentibus propter Christum: Qui ipsemet de se testimonium perhibet, dicens, Si uos Filius liberauerit, uere liberi eri-

tis: Hoc est, non inani titulo aut umbra libertatis, sed re ipsa, deleto peccato, placata ira DEI, abolita morte, donati aeterna luce, uita, gloria. Et Paulus Roma. 8. Lex spiritus uitae, per IESUM Christum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Et 2. Corinth. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. ad Gala. 3. Christus nos redemit ab execratione legis, dum factus est pro nobis execratio. Et is est primus gradus libertatis Christianae, quod gratis propter Filium DEI donatur nobis remissio peccatorum, reconciliatio, iustificatio, acceptatio ad uitam aeternam, hereditas uitae aeternae, & donatio Spiritus sancti, qui in mente nouam lucem, & nos motus in uoluntate & corde accendit, nos gubernat, nos iuuat, ut legi obediamus, defendit contra Diabolum ne uincamur, & inchoat in nobis uitam aeternam.

Est & alius gradus Christianae libertatis, quantum ad externam & politicam uitam, uidelicet, Christianos non esse alligatos ad politiam Mosi, aut ullam certam unius gentis politiam, sed singulis locis parere debemus magistratibus & legibus praesentibus, si modo leges sint consentaneae iuri naturae, nec praecipiant aliquid fieri contra mandata DEI, illas seruare oportet tranquillitatis ac publicae honestatis

honestatis gratia in mundo. Vltimus gradus Christianæ libertatis est, quod Euangelium docet, ritus humana autoritate factos in Ecclesia de Adiaphoris non mereri remissionem peccatorum, non esse de iusticia Euangelij, non seruandos esse cum opinione necessitatis, sed posse omitti extra casum scandali: Iuxta illud: Frustra me colunt mandatis hominum. Esai. 29. & Matthæi. 15. Et Oportet DEO magis obedire quam hominibus, Acto. 5. Quocirca cum traditiones humanæ aperte præcipiunt ea, quæ non possunt fieri absq; peccato, quales sunt traditiones Pontificiæ, ut non comedere carnes 6. & 7. ferijs, circumgestare alteram partem Sacramenti, sacerdotes uiuere cœlibes, inuocare mortuos sanctos, & huiusmodi, constat eas esse doctrinas dæmoniorum, quare eis non obediendum, sed redeundum ad mandata DEI. Deinde etiam cum traditiones loquuntur de rebus sua natura Adiaphoris, tamen fiunt impiæ & doctrinæ Dæmoniorum, propter errores, qui simul proponuntur ac defenduntur, uidelicet, quod sint cultus DEI, id est, opera quibus Deus iudicet se honore affici, aut quod mereantur remissionem peccatorum. Secus tamen iudicandum de illis ritibus, qui boni ordinis causa instituti sunt, quos Euangelium seruari concedit sine opinione iusticiæ aut necessitatis: Iuxta illud:

Laus eius in Ecclesia sanctorum. Item, Omnia fiant ad ædificationem. Omnia fiant decenter, & secundum ordinem, 1. Corinth. 14. Ut modeste & tranquille cuncta peragantur in Ecclesia, & ut iuuentus & imperitum vulgus erudiantur. Postquam autem in Ecclesia de humanis traditionibus, quæ pugnant cum libertate Christiana, scandala oriri solent inter hypocritas & pios: Hypocritæ enim uolunt & docent humanas constitutiones esse necessarias ad salutem, & impetrare remissionem peccatorum: Et propterea scandalizantur recta doctrina, & operibus necessarijs in uerbo DEI præscriptis: Econtra pij præferunt mandatum DEI de sana ac recta doctrina, & de operibus necessarijs, quibus plerunq; iuuatur proximus, omnibus humanis constitutionibus atq; doctrinis, dicentes cum B. Petro: Obedire oportet DEO magis quam hominibus. Et cum D. HIERONYMO, Neq; parentum neq; maiorum error sequendus est, sed autoritas scripturarum, & DEI docentis imperium: Sunt enim liberi ab omnibus humanis traditionibus, quas Hypocritæ sæpe aut adæquant uerbo aut præferunt: Igitur necesse est pauca quædam de scandalo hic adnotare. Est autem Scandalum dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur

tatur malum exemplum, seu quia flammæ maio-
res odij aduersus Euangelium concipit. Scan-
dalum est duplex, alterum Hypocriticum, alte-
rum commune. Scandalum hypocriticum est,
cum impij irascuntur ueræ doctrinæ Euangelij,
aut honestis aut necessarijs factis: Vt cum no-
lunt proponi ueram doctrinam & taxari erro-
res, aut nolunt aboleri cultus idolorum, nolunt
sacerdotem piuum honeste in coniugio uiuere:
Et hi peccant, suntq; ipsimet caussa dissidio-
rum, quia cedere debebant ueritati: Non pec-
cant illi, qui iuxta uocationem recte docent,
aut Euangelium confitentur. Est enim doctri-
na Euangelij & eius confessio anteferenda om-
nibus rebus nostræ uitæ, famæ, publicæ paci, ui-
tæ, uxoris ac liberorum & principum beneuo-
lentia. Huc pertinent omnia scandala in nouo
testamento, quoties hypocritæ cum scribis of-
fenduntur à Christo, uel propter doctrinam,
quod lex scilicet non tantum de externis actio-
nibus in uita ciuili præcipiat, imo postulet quo-
que motus spirituales, nempe uerum timorem,
ardentem dilectionem DEI, & firmam de Deo
fiduciam: Vel propter opera necessaria, ut Sab-
batho sanare hominem habentem aridam ma-
num, & huiusmodi plura quæ in Euangelistis
extant: Et hoc scandalum uocant acceptum.

Scandalum commune est, aut falsa doctrina,

aut malum exemplum, quod alijs nocet, uel quia in alijs licentiam confirmat, uel quia alios ad imitationem inuitat, uel quia deterret aliquos ab Euangelio, uel quia præbet occasionem maledicendi Christo aut Ecclesiæ DEI, uel quia ferit alia plura scandala: Et hoc uocatur scandalum datum: De quo Matthæi 18. Væ homini per quem uenit scandalum, id est, qui infirmas conscientias abstrahit à simplicitate uerbi, qui ueram doctrinam reddit suspectam, qui putat in uitæ moribus licere sibi omnia, qui pertinaciter defendit impia ac sæpe ridicula dogmata, qui odit proximum, qui infamat innocentem, qui infirmum abusu libertatis Christianæ uelut absterret à Christianismo, qui dissolutè ac impiè uiuit, siue qui sub prætextu Euangelij seruit priuatis affectibus, & si qua sunt alia.

DE DIVISIONE LEGIS.

Lex est quintuplex, scilicet,
Lex Naturæ

EST noticia quædam diuinæ legis, humano pectori à DEO impressa & insculpta, seu naturæ hominis insita: Quæ docet cognoscere DEVM: inuocare DEVM, colere DEVM,
&

et proximum diligere. Iuxta illud: Omnia quae-
 cunque uolueritis ut faciant uobis homines, ea-
 dem et uos facite illis. Matth. 7. Ideo enim di-
 citur homo ad imaginem DEI conditus esse,
 quia in eo lucebat imago, hoc est, noticia DEI,
 et similitudo quaedam mentis diuinae, id est,
 discrimen honestorum et turpium. Quomodo
 ab initio DEVS hominem formans, legem ipsi
 naturalem indidit, diserte docet B. Chryso-
 stomus homil. 12. inter caetera sic inquit:
 DEVS propterea nobis legem naturalem indi-
 dit, et scriptam postmodum tradidit, ut poenas
 exigat peccatorum, et recte agentes coronet.

LEX DIVINA

Quae et lex scripta appellatur, data per
 Moſen, in hoc, ut innouaretur lex natu-
 rae in animis hominum, quae erat oblitterata, cor-
 rupta et obfusca per lapsum Adae, et per ma-
 liciam in cordibus hominum. Voluit enim DE-
 VS publico testimonio instaurare noticiam il-
 lam, quam mentibus humanis in creatione indi-
 dit, ut suum iudicium aduersus peccatum osten-
 deret: definitur itaque in genere, quod sit doctri-
 na DEI, sancta, iusta ac bona, quae bona praeci-
 pit, mala uero prohibet ac damnat. Illa lex di-
 uina, quae et Mosaica nominatur, quia per Mo-

sen promulgata, in uniuersum tres habet partes: quædam enim dicitur lex Moralis, quædam Ceremonialis, quædam Iudicialis.

LEX MORALIS

EST æterna DEI sententia & regula, nec mutatur temporibus. Semper ab æterno uoluit DEVS hanc propositionem, creatura timeat & diligat DEVM, creatura rationalis sit casta. Illa lex præcipit de agnitione DEI in mente, & de obedientia cordis erga DEVM, & de uirtutibus erga homines, ut de iusticia, castitate, ueritate, temperantia, & similibus: & illa lex continetur in decalogo, hoc est, in decem præceptis.

LEX CEREMONIALIS

EST quæ ad ritus Sacerdotum et Leuitarum in sacris pertinet, ea est sublata per summum sacerdotem Christum. Isti uero ritus Ecclesiastici, ut de sacrificijs, expiationibus, ferijs, sacerdotum uestibus, & cæteris, de quibus agit liber Leuiticus, nõ nisi figuræ atq; typi fuerunt spiritualis sacerdotij Christi, ut præclare
do

docet autor Epistolæ ad Hebræos. Sunt enim Christiani ab omnibus ceremonialibus liberi, quia Cæremoniæ nõ conueniunt cum lege nature: item in nouo testamento non amplius ualent uictimæ pecudum, & alij ritus Mosaici, sed opera spiritualia cordis, et affectus per Spiritum sanctum in corde repurgati.

Præterea regnum DEI non uenit cum obseruatione, ut Christus dicit Lucæ 17. Nihilominus tamen (etsi Cæremoniæ & externi ritus semper liberi sint, possintq; iuxta fidem nostram bona conscientia omnibus locis & horis per omnes personas uariari) debito charitatis, quæ omnibus seruit, in multis parcit, uidentur quomodo in illis populo simplici Christi, quod agimus, tolerabile & ædificatiuum: Iuxta illud 1. Corinth. 14. Omnia fiant ad ædificationem. Non enim semper hæc libertas est usurpanda. Imo Cæremoniæ pro simplicibus utiles & necessariae, modo conscientijs non iniiciantur laquei, tolerandæ. Hæc Rhegius.

LEX IUDICIALIS

EST quæ habet lites, accusationes & iudicia in causis forensibus: ut oculum pro oculo, dentem pro dente, lapidatio adulteri, &
non

non sanctificantis sabbatha. Etsi uero leges iudiciales populo Israëlitico ad tempus traditæ fuerint, & non mandata cæteris gentibus, nec obligant nos, tamen si quædam sunt inter has leges, quæ cum lege naturæ consentiunt, illæ omnibus modis etiam ad literam debent seruari: Vt arcere iniurias, punire fontes, conseruare publicam honestatem, ulcisci illatam iniuriam subditis, conseruare humanam societatem tranquillam, & id genus alia. Est enim talis efficitia legum, testante Cicerone li. 3. de legibus, ut sine illis, nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens stare possit, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus: & tales effectus legum asscribit Paulus magistratui, Roma. 13. & Petrus cap. 2. prioris Epistolæ: Est enim Magistratus diuina ordinatio, legumq; custos.

SECUNDA PARS HVIVS LOCI DE EVANGELIO.

Evangeliu[m] est prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine IESV Christi, Lucæ 24. In qua DEVS promittit se propter Christum Filium suum remittere peccata, & pronunciat nos iustos, id est, acceptos, & donat Spiritum sanctum, & uitam æternam, modo ut credamus, hoc est, confidamus
hæc

hæc nobis propter Christum certò contingere.

Et hoc Euangelium DEVS ante promise-
rat per Prophetas in scripturis sanctis de Filio
suo, ut docet Paulus ad Roma. 1. Et illam pro-
missionem Euangelij indicat Propheta Regius
Psalmo 68. dicens: Dabit uerbum suum Euan-
gelizantibus uirtute multa. Item Psalmo 19.
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fi-
nes terræ uerba eorum. Et Esaias cap. 52.
Quam speciosi pedes annunciantium pacem,
annunciantium bona. Causa uero promissi &
postmodum reuelati Euangelij præbuit huma-
na natura oppressa peccato & morte. Cum
enim primi parentes ex suo lapsu se iuuare non
possent, DEVS misericordia motus, fecit pro-
missionem gratiæ de suo Filio semine mulieris,
quod conculcaturum esset caput serpentis, hoc
est, regnum Sathane, nempe peccatū, mortem
atq; infernum aboliturum: Et illa promissio
Euangelij preciosissimum est in scripturis san-
ctis. Duo enim prædicat Euangelium, Primo
iusticiam, per quam sanat naturæ corruptio-
nem. Hæc iusticia est donum DEI, fides scilicet
IESV Christi, Roma. 3. & Rom. 5. Iustifica-
ti ex fide pacem habemus erga DEVM, per
Dominum nostrum IESVM Christum. Se-
cundo gratiam, uel misericordiam, quæ est fi-
dei ac iusticiæ comes, fauor Dei contra iram,
que

quæ peccati comes est, ut Omnis qui credit in Christum habeat DEVM propitium: Vt ipsemet dicit, Matthæi 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, id est, propiciatus sum, Ich bin befriedet, ich bin mit euch zufrieden, es ist der zorn hinweg, Ipsum audite, id est, credite in illum. Hinc quidam definiunt Euangelium lætum, suaue, iucundum & bonum uerbum, quod aliud non est quam remissio peccatorum, multitudo misericordie DEI, & tristis conscientie consolatio.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

LEX est doctrina requirens perfectam obedientiam erga DEVM, non remittit gratis peccata, non pronunciat iustos, id est, acceptos DEO, nisi legi satis factum sit. Et quamquam habet promissiones, tamen hæ requirunt conditionem impletæ legis: Econtra Euangelium, etsi concionatur de pœnitentia & de bonis operibus, tamen continet promissionem beneficij Christi, quæ est propria & præcipua Euangelij doctrina & à lege seiungenda: gratis enim remittit peccata & pronunciat nos iustos, etiamsi legi non satisfacimus, idq; propter Christum

Christum qui factus est pro nobis uictima, per quem certo statuamus nos reconciliatos esse & placere Patri. Summa, In nomine Christi remittuntur peccata, idq; gratis, non propter nostram dignitatem, quia nos omnes errauimus. Sed primum lex prædicanda est, per quam peccatorum magnitudo & enormitas noscatur, & morbi periculum atq; uenenum, quanquam homo se & suam calamitatem norit per legem, tum prædicetur Euangelium uelut capto & tristi letum nuntium de certa sui liberatione & perpetuo gaudio per Christum. Postremo sicut necesse est scire Euangelium esse gratuitam promissionem, ita quoq; necesse est scire Euangelium esse uniuersalem promissionem, quæ ad omnes homines pertinet, id est, promittit & offert omnibus hominibus reconciliationem: Iuxta illud, Qui credit Filio habet uitam æternam, Ioannis 3. Et 1. Timo. 2. DEVS uult omnes homines saluos fieri: ideo IESVS Christus mediator DEI & hominum dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus. Sicut enim prædicatio pœnitentiæ uniuersalis est, ut Acto. 17. Deus annunciauit hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant, eò quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iusticia per Filium suum: Ita & prædicatio remissionis peccatorum uniuersalis est, Vt Ioan. 3. Sic DEVS dilexit

dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Lucae 24. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

TERTIA PARS HVIVS LOCI DE PARTIBVS EVANGELII.

Evangeliū constat duabus partibus, pœnitentia ac remissione peccatorum. Pœnitentia enim est gradus quo itur ad remissionem peccatorum. Nam per pœnitentiam cognoscitur peccatum, quo cognito, accedit occasio fugiendi ad medicum Christum, per quem remittuntur peccata: Et propterea orditur Christus suam prædicationem à pœnitentia, Matth. 4. dicens: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum.

DE PRIMA PARTE EVANGELII QVAE EST PŒNITENTIA.

Pœnitentia est conuersio ad DEVM, quam à nobis omnibus postulat, Ezech. 33.
Viuo

Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Quam consolationem diligenter infigamus animis, & cogitemus quanta sit uis diuini erga nos amoris, quam ardentem nostram desideret salutem, cum dicit, Viuo ego, ut conscientia eò magis erigantur, cum audiunt non solum promissionem, sed etiam confirmatam iureiurando: Bonum est ergo pœnitere omnino, quid reuoluis? DEVS præcipit, non tantum præcipit, sed etiam hortatur, inuitat præmio, salutem iurans, etiam, uiuo, dicens, cupit sibi credi. O beatos, quorum causa iurat DEVS, ô miserrimos, si nec credimus Domino iuranti? Hæc Tertullianus: Et Matth. 11. dicit Saluator: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos.

Via autem ad pœnitentiam, est uerbum DEI, per quod Spiritus sanctus monet et mouet corda ad pœnitendum. Verbum DEI est Lex & Euangelium. Lex ostendit peccatum, terret conscientiam, minatur pœnas & mortem, conscientia uero quærit solatium: Tunc accedit Euangelium, quod offert ac promittit credentibus remissionem peccatorum propter Christum.

Sunt autem ad ueram pœnitentiam, qua DEVS mitigatur, quatuor necessaria, nempe,

G

Contri-

Contritio, Confessio, Fides, ac Vitæ nouitas
seu Emendatio.

CONTRITIO

EST Pavor seu terror conscientie agnoscentis iram DEI aduersus nostra peccata, & dolentis propter peccatum: Vt Psalmo 6. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: Et anima mea turbata est ualde &c. Quæ uerba testantur Prophetam ueram habuisse cordis contritionem uerum sensisse dolorem atque terrorem de commissis peccatis, Qualem & Magdalena habuit Luca 7. illum foris ostendens lacrymis, similiter & Petrus: Ideo CHRYSOSTOMVS dicit, Homilia 22. Si magnus est lapsus tuus, maior sit lachrymarum tuarum torrens. Quanquam externæ illæ res, ut uigilia, lacrymæ, ieiunia et eiusmodi, culpæ dimissionem non impetrant, sed fides in Filium DEI, qui semetipsum dedit precium redemptionis pro omnibus, & qui solus peccata dimittit, tamen sunt quasi istius contritionis in corde, seu testimonia, utilia ad coercendam carnem, ut in posterum caro minus peccet. Et eiusmodi contritionis causa est Spiritus

ritus sanctus, qui in cordibus nostris reteggit peccatum, & confundit ac perterrefacit conscientias, & incitat nos, ut confidamus promissioni remissionis peccatorum per Christum: is enim cor contritum et humiliatum non despicit, Psalm. 50. Imo est, Qui sanat contritos corde & alligat contritiones eorum, Psalm. 146. Requiritur autem necessario ad contritionem confessio peccatorum coram DEO. Est enim confessio effectus contritionis: nam qui uere agit contritionem, is certe nunquam confessionis obliuiscitur.

CONFESSIO

Est semetipsum accusare, sibi ipsi displicere, delictum suum cognitum DEO facere, & iniusticiam suam non abscondere, Psalm. 32. Et est duplex. Vna quæ fit DEO & Ecclesie, altera coram ministro Ecclesie. Confessio coram DEO, est quando cognoscimus peccatum nostrum, & condemnamus nos ipsos, ut ex misericordia DEI quam imploramus, remittantur nobis peccata nostra: Vt Psalm. 32. Delictum meum cognitum tibi feci, et iniusticiam meam non abscondi: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et 1. Ioan. 1. Si confiteamur pec-

cata nostra fidelis est DEVS, ut remittat nobis peccata nostra. Et ut AVGVSTINVS inquit Homilia 12. Si nos confitemur peccata DEVS parcit: Si nos agnoscimus ille ignoscit. Debet autem illa confessio fieri quotidie, quia semper peccamus: proinde docuit nos Christus orare ac dicere: Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. De hac confessione ita loquitur D. AVGVSTINVS, dicens: DEVS desiderat nostram confessionem, ut iustam causam ignoscendi habeat: Sermone 66. de tempore. Confessio coram Sacerdote uel ministro Ecclesiae, quã et Auricularem uocamus, est in qua habens conscientia ac dubia, adeoq; peccatis onerata, quærit per uerbũ institutionem, solatium & certam rationem perueniendi ad remissionem peccatorum, quam credentes etiam accipiunt per absolutionem, quæ est diuina potestas remittendi peccata in nomine IESV Christi, Matthæi 18. Ioannis 20. Et propter illam absolutionem priuatam quæ in Ecclesijs retinenda est, mos etiam petendæ absolutionis retinendus est, & sunt aliæ utilitates multæ retinendi illius priuati colloquij, etiamsi non accedat enumeratio peccatorum, quæ ut non est præcepta à DEO, ita quoq; impossibilis: Iuxta illud Dauidicum, Delicta quis intelligit? Illa confessio omnino necessaria est & propterea

pterea retinenda. Primum, ut petatur absolu-
tio, qua nemo non eget. Promittit enim atq; an-
nunciat confitentibus ac credentibus in Chri-
stum remissionem peccatorum autoritate Eccle-
siae: Quae consistit in ministerio praedicandi
Euangelium & administrandi Sacramenta à
Christo instituta, ac ita medetur afflictis con-
scientijs, lapsos erigit atq; confortat, pacatam
& quietam conscientiam reddit: Læta enim uox
est ac bonum nuncium, cum minister dicit, re-
mittuntur tibi peccata tua: Is enim ad hoc in Ec-
clesia constitutus est, & claves, id est, ius seu
commissionem hanc accepit, ut conscientijs me-
deri, & pro animæ medela promere possit no-
ua & uetera, ostendatq; pressis peccatorum
mole conscientijs, nulla alia ratione posse con-
suli, ne desperent, quam ut ad DEVM recta
per Christum enitentur, qui uulneratus est pro
pter scelera nostra & nostros portauit dese-
ctus, Esaie 53. Deinde, ut Pastor interroget
suos auditores de doctrina, & exploret eorum
iudicia de doctrina, et cognoscat an proficiant,
castiget & erudiat segniores. Præterea neces-
se est etiam, ut audiantur rudes de doctrina
priusquam ad Sacramenta admittantur. Ter-
tio, ut sit mutuae orationis solatium, nunquam
enim debet omitti oratio, ubi agitur de re con-
scientiarum, de remissione peccati, de DEO of-

fenso per peccatum, iterumq; placando de uita
 æterna. Quare Christus dixit, Matthæi 18. Si
 duo ex uobis consenserint super terram, de om
 ni re quacunq; petierint, fiet illis à Patre meo
 qui in cœlis est. Capiunt quoq; perterrefactæ
 conscientie ex illa confessione auriculari seu
 priuato colloquio sæpe consolationem atq;
 gaudium, ideo multum utilis est illa confessio,
 & ob id omnibus modis in Ecclesijs retinenda.

F I D E S

EST fiducia misericordie DEI, qua unus-
 quisq; credit sibi uere remitti peccata pro-
 pter Christum gratis, id est, non propter no-
 stram dignitatem, aut propter nostra merita.
 Necesse est enim ad contritionem, hoc est, ad
 hos terrores accedere consolationem, scili-
 cet Fidem, quæ statuat nobis remitti peccata
 propter Filium DEI, & tantæ misericordie
 agnitione rursus erigat nos, ne oppressi despe-
 ratione ruamus in æternum exitium: Nisi enim
 accederet Fides, contritio fieret mors æterna:
 Vt Roma. 4. Ei qui operatur, merces non im-
 putatur secundum gratiam, sed secundum debi-
 tum. Porro ei qui non operatur, sed credit in
 eum, qui iustificat impium, imputatur Fides sua
 ad iusticiam, id est, conuertentem impium per
 solam

Solam Fidem iustificat DEVS, non per opera
 bona, quæ non habuit prius, alioquin per impie-
 tatis opera erat puniendus. Hæc Sedulius. Nam
 quid quæso potest qui totus etiam in uirtu-
 te uersatur, et strennuè se gerit? Quid inquam,
 & quomodo Christum potest debitorem suum
 uel facere uel habere? Beati ergo quorum di-
 missæ sunt iniquitates, & quorum contecta sunt
 peccata. Beatus uir cui non imputauerit Domi-
 minus peccatum, Psalm. 32. Illa imputatio fit
 propter Fidem, quæ apprehendit DEVM, &
 propellit ad sperandum in DEVM, propter
 Christum reconciliatum, qui pro nobis admi-
 rando consilio uictima, mediator & depreca-
 tor factus est. Statuant igitur perterrefactæ
 mentes certò se consequi remissionem peccato-
 rum gratis fide propter Christum: iuxta illud,
 Acto. 10. Huic (IESV Nazareno) omnes Pro-
 phetæ testimonium perhibent, remissionem pec-
 catorum accipere per nomen eius, omnes qui
 credunt in eum. Et Roma. 3. Iustificamur gra-
 tis ipsius gratia per redemptionem quæ est in
 Christo IESV, quem proposuit DEVS pro-
 piciatorem per Fidem in sanguine suo. Scien-
 dum uero non excludi contritionem & cete-
 ras uirtutes ne adsint, nam certe pœnitentia ne-
 cessaria est, sed causa remissionis peccatorum
 non transferenda est in nostram dignitatem,

sed in Christum: Iuxta illud, Ephes. 2. Gratia saluati estis per Fidem, idq; non ex uobis, DEI donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur: Scilicet suis meritis, & non à DEO esse saluatum, ut inquit SEDVLIVS. Nemo iustificatur ex suis meritis, sed ex gratia. AVGVSTINVS homil. 6. Extendit enim DEVS per Christum Filium suum pontem suæ misericordiæ, gratiæ ac remissionis peccatorum, ut omnes transire possunt per Fidem in Christum. Effectus autem fidei est iustificatio, quæ est gratuita imputatio remissionis peccatorum in Christo, quam Fides impetrat, ad accipiendam uitam æternam. Vt Roma. 3. Arbitramur Fide iustificari hominem absq; operibus legis, id est, certis rationibus accedentes putamus, iusticia fidei omnem hominem uolentem esse participem eiusdem citra obseruationes legis iustificari. Et cap. 5. Iustificati ex Fide pacem habemus erga DEVM, per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ DEI. AVGVSTINVS sermone 38. de tempore, ita dicit: Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad consortium filiorum DEI peruenire potest, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis gratiam consequetur, nec in futuro possidebit

possidebit uitam eternā. Postremo sicut iustificatio effectus est fidei, ita iustificationis effectus est remissio peccatorum. In hoc nimirum iustificamur, ut accipiamus remissionē peccatorum.

VITAE NOVITAS SEV EMENDATIO

DE hac loquitur Apostolus ad Roma. 6. dicens: Sepulti sumus una cum Christo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitae ambulemus, & post hac non seruiamus peccato. Est autem Vitae nouitas, si fornicator non porro fornicetur, & raptor ac prædo non amplius prædetur, inquit Theodoretus: Nec otiosi indulgeamus uitijs contra conscientiam, nec conturbemus Spiritum sanctum, sed assentiamur uerbo DEI, & obsequamur Spiritui sancto: Vt Paulus 2. Corinth. 6. monet, dicens: Adhortamur ne frustra gratiam DEI accipiatis. Neque enim ob hoc quis accipit ueniam peccatorum, ut rursum sibi putet peccandi licentiam datam? Indulgentia namq; non futurorum, sed præteritorum criminum datur: Hæc SEDVLIVS.

Quid enim conduceret diuina gratia prauis facinoribus eximi, si deinceps ad pristinam ne-

gligentiam rediretur? Id namq; nil aliud foret, quam in pristinam inimicitiam illam relabi, sic fieret ut frustra uideretur diuina fuisse in nos gratia tanta collata. Haud quaquam ita existimandum est, in fide duntaxat peccatorum constare uacationem, quin & optimo uiuendi opus est genere, ut ab his simus immunes. Hæc THEOPHILACTVS, Vult audiri Euangelium, uult nos assentiri & obsequi, non indulgere impietati contra conscientiam: uult nos luctari cum nostra infirmitate, uult nos agnoscere peccata, & quærere liberationem, non ea contra conscientiam retinere: Imo necesse est simul inchoari nouam obedientiam: Iuxta illud, Roma. 6. Non regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis illi per cupiditatem eius. Et Matthæi. 3. Dicit Baptista: Facite fructus qui deceant pœnitentiam: & hæc noua obedientia usitate uocatur, Bonum propositum, quod est, statuere & uelle obedire DEO, & retinere iusticiam bonæ conscientie.

DE FRVCTIBVS VERAE POENITENTIAE

LEge Paulum capite 12. ad Roma. 1. Corinth. 13. ad Galat. 5. Euangelium quippe non docet uitam dissolutam, sed uult, ut sic luceat

ceat lux nostra coram hominibus, quò uideant nostra bona opera (quæ sunt testimonia, & pedissequa fidei secundum CHRYSOSTOMUM) & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est, Matthæi 5. Summa, Finis iustificationis est bene operari. Et quanquam bona opera non iustificant aut saluant, tamen DEO placent, quia fiunt à iustificatis, qui fide apprehenderunt Christum, qui solus nos reconciliat Patri, & efficit ut opera nostra bona placeant ei.

DE SECUNDA PARTE EVANGELII QUÆ EST REMISSIO PECCATORVM.

Remissio peccatorum est ipsa redemptio à peccatis, quæ nobis contigit per effusionem sanguinis IESU Christi Filij DEI, Eph. 1. & 1. Corinth. 1. Christus IESVS factus fuit nobis à DEO redemptio, id est, Christus meruit nobis ueniam peccatorum, reuocauit nos à seruitute peccati per passionem & mortem suam: Et illam remissionem peccatorum apprehendit fides, quæ impetrat iustificationem, Roma. 5. Quæ est gratuita acceptatio in gratiam, & reconciliatio cum DEO: Iuxta illud, Iustificamur gratis per illius gratiam.

Per

Per redemptionem quæ est in Christo IESV, quem proposuit DEVS reconciliatorem per fidem interueniente ipsius sanguine. Roma. 3. AVGVSTINVS sermo 181. de tempore, ita scribit. Remissio peccatorum unicum remedium est, quod hominem à sententia perpetuæ mortis absoluit ac liberat. Ideo enim immaculatus est agnus occisus, ut eius cruore humani generis macula tergeretur. Secundum illud, Eius liuore sumus sanati, Esaia. 53.

DE SATISFACTIO NE.

VNica est satisfactio, scilicet Domini nostri IESV Christi, is enim saluum fecit populum suum à peccatis eorum, Matthæi. 1. & 1. Ioannis 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Ergo gratis habemus remissionem peccatorum, neq; ullius meriti compensatio ualet, nisi meritum Christi in cruce, qui satisfecit pro peccatis nostris. Sponte enim sese obtulit DEO, & per mortem, qua nihil asperius, hominem redemit, diabolumq; conculcauit. BONAVENTURA sic inquit, Si homo potuisset satisfacere pro peccato suo, ergo Christus frustra fuisset mortuus, Gala. 2. De illa satisfactione pie docet Anselmus in libro, Cur DEVS homo? DE

DE DISCRIMINE
VETERIS AC NOVI TE=
STAMENTI.

INTER *Vetus et Nouum Testamētum idem*
est discrimen, quod est inter *Legem & Eu-*
angelium: Nam *uetus Testamentum est Lex,*
Nouum uero est Euangelium. *Veteris Testa-*
menti, hoc est, legis officium est, territare, affli-
gere, pudore suffundere homines, peccata tan-
quam in tabula conspicienda hominibus propo-
nerē. *Noui uero Testamenti, hoc est, Euangelij*
officium est, consolari homines afflictos, erige-
re lapsos, obfirmare imbecilles, & per pecca-
tum mortuos uiuificare. *Conueniunt autem in*
hoc, quod utrumq; ad Christum respiciunt: Ve-
tus quidem ad Christum uenturum, Nouum ad
Christum qui uenit. *Per Legem discimus no-*
strum nihil, nostram impotentiam. *Per Euan-*
gelium audimus promissionem gratiæ, iusticiæ,
libertatis, pacis bonorum omnium in Christo,
optima Patris uoluntate donatoris. *Vetus testa-*
mentum peculiariter scripturæ nomē obtinet:
quia Spiritus sanctus eas scripturas hominibus
seu prophetis inspirauit, non ex se locuti sunt
uiri DEI. *Euangelium est Veteris Testamenti*
explicatio, Roma. 1. 2. Timoth. 3. 1. Petri 1.
2. Petri 1. Euangelium est index in scripturam
intro

introducens. Lucæ 24. Vetus testamentum in nouo dilucidatū, ac latiori sensu propalatum est, & nouum in ueteri adumbratum ac multifaria typorum reuelatione præsignatum est.

Vnde est illud: Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam (Esaiam capit. 7.) Ecce Virgo erit prægnans & pariet Filium, et uocabunt nomen eius Emanuel, quod si quis interpretatur, sonat, Nobiscum DEVS: Matthæi 1. Et illud: Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ. Marci 14. &c. Hæc Venerabilis BEDA lib. 2. cap. 6. in 26. caput Exodi, de tabernaculo, & uasis eius, ac uestibus Sacerdotum.

Vetus testamentum dicitur onus, quia premit totam ueterem naturam non solum in impijs, sed etiam in sanctis ante integram liberationem. Sed his consolatio, auxilium, & mitigatio proponitur in Euangelio, & eatenus maledictio abrogata est. Quare nouum Testamentum dicitur prædicatio remissionis peccatorum, & donatio uitæ æternæ ac nouæ iusticiæ deleti peccato, & deleta morte propter Christum mediatorem, Iere. 31. Paulus uocat uetus Testamentum literam & ministerium mortis, id est, legem accusantem & damnantem homines. Nouum uero uocat Ministeriū Spiritus, id est, prædicationem Euangelij, per quam datur Spiritus

Spiritus sanctus, incohans in cordibus nouam lucem, iusticiam & uitam: Et integrè complebitur exhibita luce, iusticia & uita æterna, in qua ministerium docendi mandatum hominibus cessabit, & coram fruemur æterno conspectu DEI, Hæc Melanchthon.

SEXTVS LO
CVS DE BONIS OPERIBVS,
ET DE PRAEDESTINATIONE.



BONA opera, quæ DEVS præcipit in decalogo, sunt, quæ continent uerum cultum DEI, & dilectionem proximi, & proponuntur ut inde glorificetur Deus, & ut non credentes ad suscipiendum uerbum, & Deum laudandum inuitentur: Iuxta illud, Matthæi 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant uestra bona opera, glorificentq; Patrem uestrum qui est in cœlis. Opera DEVM non glorificant, nam res sunt insensatæ, sed ad gloriam DEI, ubi adest fides, fieri possunt: Quare non dicit opera glorificent Patrem, sed homines, quando uident gratiam & DEI dona in uobis, tunc enim tanta DEI bonitate

tate in uos effusa moti, laudant DEVM tanti boni autorem.

Opera bona sunt Symbola fidei, id est, fidei in nobis rectam esse ostendunt, ut docet S. AMBROSIVS in libro de Abel & Cain: Testantur de nostra fide, quemadmodum fructus de arbore. Secundum illud CHRYSOSTOMI: Opera sunt pedissequa fidei. Item sunt signa acceptæ iustificationis, non quod ipsa iustificent, ut falso docent operum iusticiarij, sed quod fiant à bonis, id est, iustificatis fide, quibus gratias agunt DEO, & laudant DEVM, pro acceptis beneficijs in Christo, & inuitant alios, ut Euangelium suscipiant & glorificent DEVM. AVGVSTINVS Sermo. 44. ad Fratres in Erêmo ita dicit, Indigemus misericordia DEI, quia per nostra merita æternam uitam acquirere non ualemus. Summa, Opera seu merita non iustificant neq; saluant, & hoc patet ex tribus. Primò, ex iustificatione, gratia præuenit, uoluntatem deducit, regit, non deserit, si gratia ergo non meritum, Ephes. 2. Quare Lucæ 17. docet Saluator discipulos suos ita dicens, Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus: Et Matthæi 19. Apud homines saluum fieri impossibile, apud DEVM omnia possible. Ergo nostrarum uirium

Opera seu merita non iustificant neque saluant, & hoc patet ex tribus.

rium non est ut salui fiamus. Secundo ex uocatione: mittitur enim Euangelium nobis nihil tale cogitantibus, ut Marci. 16. Ite in orbem uniuersum, & prædicate dicentes: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit; qui uero non crediderit condemnabitur: & Patris tactus nos attrahit. i. Ioannis 6. Nemo uenit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Est aut trahi à Patre, discere à Patre: Discere à Patre, est audire à Patre: Audire à Patre, est audire uerbum Patris, id est, Filium: De quo dixit Pater, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum est, Hunc audite. Matthæi. 17.

Tertio ex prædestinatione, quæ est diuinæ uoluntatis per gratiam certa electio, qua elegit nos DEVS in ipso antequam constitueretur mundus, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem, ut adoptaret nos in filios per IESVM Christum in sese, iuxta beneplacitum suæ uoluntatis: Ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos reddidit nos per illum dilectum, Ephes. 1.

Est autem Prædestinatio iudicanda & incipienda ex promissione uniuersali, quod si fit, nulla restabit amplius occasio excrucianti animi ulla particularitate: Ut Ioan. 3. Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat:

H

Et

Et cap. 6. Hæc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Et Matthæi 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Roma. 11. Conclufit DEVS omnes sub inobedientiam, ut omnium miferetur, id est, arguit omnium inobedientiam, omnes uocat ad pœnitentiam, rursus etiam omnibus offert misericordiam: & 1. Timoth. 2. DEVS uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Quare quod multi reprobantur & pereunt, causa est peccatum in hominibus, qui prorsus nõ audiunt nec recipiunt Euangelium, aut qui abijciunt fidem, antequam hinc discedunt: Promissio nimirum remissionis peccatorum, & donationis uitæ æternæ requirit fidem. Sumus enim prædestinati sub illa conditione, ut si susceperimus uerbum DEI, erimus filij DEI, si non, tunc damnabimur, ut AVGVSTINVS testatur in libro de prædestinatione cap. 2. dicens: Prædestinauit DEVS hominẽ, ut sibi esset obediens, & à gustu uetiti pomi abstineret, et in uita permaneret, sin autem esset inobediens, subiret sententiam mortis. Certũ est autem nihil fortius esse ad erigendas conscientias ipsa prædestinatione considerata cum suis effectibus, atq; inculcata conscientijs, cuiusmodi sunt, certò statuere nos placere Deo: scire nos esse filios Dei,

&

et habere uitam æternam, propter Filium suum
 Dominum nostrum IESVM Christum. Econ-
 tra, ubi relictis prædestinationis effectibus, ipsa
 simpliciter ex ratione, aut ex lege, aut ex no-
 stra dignitate aspicitur seu iudicatur, nihil esse
 ad perdendas conscientias ipsa prædestinati-
 one præsentius.

QVÆSTIO DE PRÆDESTINATIONE.

CVR DEVS Iudam elegit & ad ministe-
 rium annunciandi Euangelium uocauit,
 quem præsciuit periturum: nam quod fuerit e-
 lectus, testatur Christus ipse Ioan. 6. dicens: *in oratione*
 Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis
 unus diabolus est? Fuit etiam uocatus ut patet
 Acto. 1. in electione Matthiæ ad apostola-
 tum: Facta enim precatione dixerunt undecim
 Apostoli: Tu domine qui corda nosti omnium,
 ostende utrum elegeris ex his duobus (Barna-
 ba & Matthia) ut accipiat sortem ministerij
 huius & Apostolatus, unde præuaricatus exci-
 dit Iudas, ut abiret in locum suum. Respondeo,
 Dominus in hoc ostendere uoluit, quod quan-
 tum in ipso est, omnibus dare sit gratiam para-
 tus, & neminem uult perire: Et ideo nemo pe-
 rit, nisi qui ipse salutem suam negligit, & amit-
 tit fidem in Christum mediatorem.

SEPTIMVS

LOCVS DE ECCLESIA ET
DE SACRAMENTIS.

PRIMA PARS HVIVS
LOCIDE ECCLESIA.



ECCLESIA est cœtus, congregatio, multitudo seu populus consentiens de uerbo DEI, & de uero cultu DEI, habens spiritum sanctum & externas notas proprias, Sacramenta uidelicet, & confessionem diuini uerbi. Hæc uocatur Catholica, id est, uniuersalis, una scilicet per totum orbem, & uniuersaliter omnium hominum, sed tamen eorum qui credunt in Christum filiū DEI uiui, ut unicum & æternum saluatorem generis humani, & ex hac fide pœnitentiam agunt, & uitæ nouitati student. Vocatur etiam Apostolica, eò quod per Apostolos primum plantata sit in toto orbe: Sicut scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum. Psal. 19. In hac Ecclesia articuli fidei recte docentur, sacramenta recte administrantur, non defenduntur idola & eorum cultus, huic nos associemus, hanc docentem audiamus & diligamus, & nostram inuocationem & confessionem ipsius precia

Catholica in

Apostolica p

precibus & confessioni aggregemus : Illa uero
 coepit tempore Adæ & Eux, nam statim facta
 promissione de Christo, cui cum iam crede-
 rent Adam & Eua ecclesie membra fieri coe-
 perunt. Demum & Sancta uocatur, quia est
 iustificata seu purificata à peccato, abluta ni-
 mirum precioso sanguine IESV Christi.

Diuiditur Ecclesia in uniuersalem & par-
 ticularem. Vniuersalis est congregatio seu
 coetus omnium credentium, per uniuersum or-
 bem, qui per gratiam & misericordiam DEI
 & sanguinem Christi redempti sunt atq; san-
 ctificati: Et hæc est inuisibilis, soli deo cog-
 nita, is nouit qui sunt eius, nec enim omnium est
 fides. Quare creditur iuxta articulum Sym-
 boli: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam,
 sanctorum communionem. De hac Paulus ad
 Ephe. 5. Particularis quæ quidem uisibi-
 lis est & externa nobisque cognita: est con-
 gregatio fidelium, id est, eorum, qui se fide-
 les & CHRISTI membra profitentur, &
 baptismatis signo contestantur: Vt sunt Ec-
 clesie particulares, in quibus Paulus docuit
 Euangelium, quibus etiam scripsit, ut Ecclesie
 quæ fuit Romæ, Corinthi, Ephesi, Philippis,
 & cæteris: tales quoq; sunt in quibus & nos do-
 cemus Euangelium, quibus & nos scribimus, ut
 est Ecclesia, quæ est Vuitebergæ, Northusij,
 H 3 Lipsiæ,

Lipsiæ, Hallis, & in alijs locis aut regionibus. Sunt autem in uniuersali Ecclesia duplices homines, scilicet uere credentes & hypocritæ: Boni & mali. Vt D. GREGORIUS inquit, In Ecclesia ut in area triticum & palea: Hocq; fuit ab initio: Adam habuit duos filios, Abel & Cain, Abel pius, Cain impius. Gene. 4. Abraham similiter duos, Isaac & Ismael, Isaac bonus, Ismael malus. Gene. 21. Et Isaac duos, Iacob et Esau, Iacob à DEO dilectus, Esau reprobatus: Malach. primo. Sic & hodie mali permiscentur bonis, ut boni probentur: Vnde B. AVGVSTINVS dicit: Neq; propter paleam relinquenda est area, neq; propter pisces malos rumpenda sunt retia, neq; propter hœdos in fine separandos deserendus est grex domini, ita etiam mali sunt tolerandi in Ecclesia propter probationem electorum, quos oportet esse tanquam liliū inter spinas: Cantico. 2. Lege Matthei cap. 13. de sarena missa in mare: AVGVSTINVM Sermo: 78. de tempore, de conceptu Rebeccæ.

Ecclesia uere Ecclesia uere credentium est congregatio eorum, qui corde credunt & ore (exemplo Petri, Matth. 16.) confitentur, Christum esse filium DEI uiui: Qui utuntur sacramentis legitime, iuxta præscriptum uerbum, qui sacrificant DEO sacrificia laudis, & hostias spirituales:

tuales: Et si quid est huiusmodi. Ecclesia hypocritarum est, populus qui appropinquat DEO ore suo, & labijs ipsum honorat, ceterum cor ipsorum longe abest ab ipso, sed frustra ipsum colunt, docentes doctrinas & precepta hominum, Esaie 29. Matthæi 15. Huius ecclesie membra sunt Tyranni in hoc mundo, qui doctrinam Euangelij uiolenter opprimunt, & gladio, igne, & quibus modis possunt eam persequuntur: Deinde pseudodoctores & Monachi, quia præter Christum aliam uiam salutis hominibus præscribunt ac monstrant, nempe per propria merita: Contaminant purum DEI uerbum traditionibus humanis, & illas interdum ipsi uerbo turpiter præferunt. Matth. 15. Negant remissionem peccatorum per solam fidem IESU Christi, abutuntur Sacramentis à Christo institutis, & plura eiusmodi impia. Et illi nihil habent commune cum uera Ecclesia, nec etiam sunt membra ueræ Ecclesie, siquidem uera Ecclesia est, quæ retinet doctrinam Euangelij incorruptam, & legitimum usum sacramentorum, & in qua lucet confessio fidei & tolerãtia in cruce.

Ecclesia hypo:

H 4 Alte



112 SEPTI. LOCVS DE ECCLĒ.
ALTERA PARSHVIVSLO=
CI DE SACRAMENTIS.

SACRAMENTUM est Cereemonia in Euange=
lio à Christo instituta, ut sit testimonium
promissionis, quæ est Euangelij propria, uide=
licet promissæ reconciliationis seu gratiæ. Ne=
cesse est autem promissionem illam accipi fide,
uel ut accedat fides, quæ promissionem intue=
tur ac apprehendat, seu promissioni gratiæ
credat. Tria autem circa sacramentum sunt
consideranda, Verbum, quo gratia promitti=
tur, Elementum quod promissam gratiam,
nempe remissionis peccatorum & iustificati=
onis propter filium DEI significat: Et ipsum
Mandatum DEI siue institutio, ut, *Ite docete
omnes gentes baptizantes eos in nomine pa=
tris & filij & spiritus sancti: Et, Hoc facite in
mei commemorationem.* Verbum incurrit
in aures, signum seu Elementum in oculos, ut
exuscitet fidem in corde. Hinc est quod D. Au=
gustinus Sacramentum uocat uisibile uerbum,
quia ut obiecta uisum mouent, ita Sacramenta
cor mouent ad credendum.

Sunt autem in nouo testamento tria Sacra=
menta, Baptismus, Absolutio & Cœna domini,
Quæ sunt signa totius Euangelij, & quidem
proprie sunt testimonia remissionis peccato=
rum

rum seu reconciliationis, quæ propter Christum datur et in Euangelio prædicatur: Et propterea illa uere sunt Sacramenta, quia habent annexam promissionem remissionis peccatorum.

DE BAPTISMO.

Baptismus est signum beneuolentiæ DEI, uoluntatis & gratiæ erga nos, pignus seu testimonium, quo recipimur in gratiam à Deo ac æterno Patre, & donantur nobis beneficia Filij, quod uelit nos regere spiritu sancto, & quod eripuerit nos à morte æterna, & à uinculis Diaboli. De Baptismo lege 16. caput Marci 3. Ioannis. 2. Acto. 3. ad Titum. 6. ad Roma.

DE BAPTISMO PVERORVM.

Pveros baptizandos esse, quamuis usum rationis non habeant, nos minime dubitamus: nemo enim potest regnum cælorum possidere nisi habeat fidem, & DEO per fidem placeat: sed postquam ipsorum est regnum cælorum, ut Christus qui est ueritas ipsa, dicit. Marc. 10. Sequitur ergo illos habere fidem, & placere DEO, quandoquidem fides tam in adultis quam in pueris donum DEI est. Quid igitur obstat, quo minus DEVS animæ infantis fidem infun-

H 5

dat?

dat? Quasi qui per asinam Balaam locutus est, non possit in anima infantis creare fidem. Cuius uerbo cœli firmati sunt, qui agit omnia uerbo potentiae suæ, Hebræ. 1. Petrus de Aquila, de Baptismo infantium ita docet: Baptismus est contra morbum peccati Originalis: Sed paruuli habent peccatum Originale. Roma. 5. Ergo sunt Baptizandi. Item, Pueri Christianorum nil minus sunt filij DEI, quam ipsorum progenitores, sicut & in Testamento ueteri: Quod si Dei sunt, quis eos à Baptismo arcebit? Circumcisio Iudæis erat quod ad signum attinet, quod nobis est Baptismus. Quemadmodum igitur circumcisio pueris data est, ita & Baptismus aquæ dari debet pueris. Lege Augustinum sermo. 14 de uerbis Apostoli contra Pelagianos: Et homilia 50.

DE BAPTISMO IOANNIS ET APOSTOLORVM.

INter Baptismum Ioannis & Apostolorum hoc tantum interest, Ioannes de Christo passuro, Apostoli de passio & resuscitato prædicant, Ministerium fuit idem, & eosdem in credentibus habuit effectus. Docebat enim de utraq; re, de remissione peccatorum, & de efficacia Spiritus sancti, in his qui crederent Christo:

sto: Non autem discernit externum Ministerium, dicendo: Ego Baptizo uos aqua, qui autem post me uenturus est, baptizabit uos Spiritu sancto & igni, sed personas: Vult intelligi discrimen Messiae & ministrorum, Domini ac seruorum. Ministri tantum externum exhibent ministerium, sed per illud efficax est Christus, propter eum & per eum datur reconciliatio, Spiritus sanctus & uita aeterna.

Q V O D E T I A M
P O S T B A P T I S M V M P E C C A T V M R E M A N E T.

TEstatur D. AUGUSTINUS dicens: Remittitur in baptismo uniuersum peccatum, non ut nō sit, sed ut non imputetur. Peccatū in nobis post Baptismum uere peccatum est naturaliter: Quanquam per Baptismum in nobis sit captum, contritum atq; iudicatum, ut in gratia nihil possit, non damnet, sed praeualet extra gratiam: Lege eundem sermo. 2. de uerbis Apostoli: Et tractatu 41. in 8. caput Ioannis: Quare Propheta dicit Psalmo 32. Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum eius. Et 1. Ioannis 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus,

&

Et ueritas in nobis non est. Proinde docuit Saluator sanctos orare ac dicere: Dimitte. nobis bita nostra, Matthæi 6.

DE COENA DOMINI.

COENA Domini est signum à Christo institutum ad remissionem peccatorum, ijs, qui uerbis Christi, Quod pro uobis. datur & effunditur in remissionem peccatorum, fidem habent, in hoc quò et ipsi remittant suo proximo, & benefaciant illi gratis exemplo Christi. Vocatur etiam Synaxis, id est, congregatio, quia in frequentia Ecclesiastica celebratur.

Oportet igitur accedere fide, id est, credere filium DEI pro te carnem factum, natum, passum, et sanguinem suum effudisse, expiasset peccata, placasset Patrem, accepisset te in communionem bonorum cœlestium, & sic factum esse heredem uitæ æternæ: Et hæc consolatio pijs grata esse debet, non ob id tantum, quod nobis in uerba Christi, Pro uobis traditur & effunditur, credentibus remissio peccatorum, promittitur, uerumetiam quod in ipsa cœna inclusa est hæc promissio, quæ affirmat non interituram esse Ecclesiam DEI in hoc mundo. Iubet enim annunciari mortem Domini & hanc cœnam

nam

ET DE SACRAMENTIS. 117

nam distribui, donec uenerit, 1. Corinth. 11. Forma institutionis huius cœnæ habetur, Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ. 22.

DE VTRAQUE SPECIE SACRAMENTI.

VTraq; species Sacramenti clarè probari potest ex his uerbis D. Pauli 1. Corinth. 11. Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo biberitis hoc, mortem domini annuntiabit, donec uenerit. Hic Paulus nō loquitur de Sacerdotibus, sed de omnibus plane Corinthijs ad Christum conuersis. Item, Probet autem se ipsum homo, & sic de pane edat, & de poculo bibat &c. An Laici sunt canes & non homines? Probè itaq; dixit CYPRIANUS, fas non esse, quod diuinitus institutum est, humana traditione uiolare aut mutare.

OCTAVVS LOCVS DE ORATIONE ET CONTRA INVOCATIONEM SANCTORVM.

Prima

OCTAVVS LOCVS
PRIMA PARS HVIVS LO-
CI DE ORATIONE.



RATIO, secundum Damas-
cenum est, erectio mentis in De-
um, uiuaci quadam fiducia in
eius ineffabilem bonitatem. O-
ratio autem non consistit in mul-
titudine uerborum, sed attentō & fideli cordis
desiderio ad DEVM, ut unicum in omnibus
auxilium subuolante. Auersatur DEVS Bat-
tologiam, & uult ut nusquam non cor nostrum
firma fiducia ad se ceu ad optimum Patrem &
summum bonum sit erectum & infixum, unde
omne bonum & auxilium ueniat: Vnde illud,
nil prodest murmur seu strepitus oris muto
corde. Circa ueram orationem, ut si quis uult
impetrare quod petit, quinque obseruanda.

PRimum Præceptum DEI, ut Psalmo 49.
Inuoca me in die tribulationis. Et Matthæi 7.
Petite, quærite, pulsate. **SEC**undū, Promissio,
Et ego exaudiam te: Et accipietis, inuenietis,
& aperietur uobis. Et Psal. 91. Clamauit
ad me, & ego exaudiam eum: Cum ipso sum in
tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum:
Et hanc promissionem de exauditione nostræ
orationis, ut sciamus nos non frustra oratu-
ros, confirmat dominus noster IESVS Chri-
stus in-

stus iureiurando dicens: Amen, Amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. TERTIUM, Fides apprehendens illam promissionem exauditionis: Nam ideo tradita est promissio exauditionis, ut fides accendatur: ut Marci 11. Quaecunq; orantes petitis, credite quod accipitis, & erunt uobis. Et Roma. 10. Quomodo inuocabunt eum, in quem non credunt? Et Iacobi 1. Si quis postulat à DEO aliquid, postulet cum fiducia nihil hæsitans: Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur, neq; enim existimet homo ille, se quicquam accepturum à domino: Sed nullum tempus aut terminus exauditionis DEO præscribi debet, quò nos exaudiat, nobisq; largiatur: sed expectemus patienter, quemadmodum Chananeam, Matthæi 15. & Iudit, cap. 9. fecisse legimus. Proinde dicit Ecclesiasticus cap. 18. Ne impediaris semper orare. Et Christus Lucæ 18. Oportet semper orare, & non defatigari. Paulus Colos. 4. Obsecrationi instate, uigilantes in ea cum gratiarum actione: Demon enim non nescit, quantum in se habeat boni oratio, eoq; & ab hac desistere suggerit, ut inquit THEOPHILACTUS: De oratione lege CHRISOSTOMVM homilia 79.

QVARTUM, Necessitas, ut Esaia 26. In angustia

stia

stia quaesierunt te domine. Nam cum hominis uita sit militia super terram, necesse est igitur ut iugiter oremus, Et ne nos inducas in tentationem. Diabolus enim assidua tentatione impugnat, ut saltem uincat tædio, inquit D. GREGORIUS: Non decet militem amouere scutum, donec bellum durat: Ita semper nobis est orandum, quamdiu sumus in hoc regno Diaboli, qui est noster aduersarius, & circummit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, 1. Thessa. 5. 1. Petri 5. QVINTUM, Oremus patrem in nomine filij sui domini nostri IESV Christi: Ut Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Est autem petere in nomine Christi certa fiducia statuere, se à patre propter filium mediatorum exaudiri.

SECUNDA PARS HVIVS LOCI
CONTRA INVOCATIONEM
SANCTORVM.

SANCTI non debent inuocari, nam ille honor soli DEO competit, qui solus est adiutor in omnibus tribulationibus, qui dicit, Tantum in me auxilium tuum, Osee 13. Nam unus est DEVS, inquit Paulus 1. Timoth. 2. Unus etiam mediator DEI & hominum, homo semetipsum precium Christus IESVS, qui dedit redem-

redemptionis pro omnibus: Et 1. Ioannis. 2. Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem, IESVM Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Proinde dicit Propheta: Auxilium meum à Domino qui fecit caelum & terram. Est ergo inuocatio sanctorum mortuorum ritus plane ethnicus, obscurus atq; corrumpens ueram inuocationem Dei. Scriptum est enim, Dominum DEVM tuum adorabis & ei soli seruias: Si uolumus honore adfici sanctos, excitemus illorum exemplis nos ad inuocationem, imitemur quoq; ipsorum pœnitentiam & fidem, item uitam & doctrinæ confessionem, demum etiam in cruce tolerantiam.

Ioannes Hufs cap. 23. de falso cultu sanctorum ita dicit: Hypocritæ atq; Tyranni adorant & beatificant mortuos sanctos in caelis, uiuos aut sanctos, persequuntur & occidunt in terris: Et propterea similes sunt uenatoribus, qui ad hoc uenantur, ut occidant et comedant, et comedentes cibum commendant, & ad uenandū amplius animantur. Sunt etiam similes subdolis emptoribus, qui dum emunt, uituperant, & emptum postea laudant. Sunt similes Romanis, qui suos Cæsares occidebant, & occisos honorabant, facientes eis imagines. Similes deniq; paganis, qui filios suos crudeliter cremabant, & de hinc beatos illos pronunciabant. LAUS DEO.

I

Sequuntur

SEQUUNTUR ALI
 QVOT EXCELLENTE S ET
 SCITV DIGNAE SENTENTIAE, EX
 Diuorum Patrum scriptis undelibet selecte,
 In gratiam Clariss. uiri D. Michaelis Mein-
 burg, Imperialis Oppidi NORT-
 HAVSEN Consulis.

PER M. LEONARDVM
 Iacobi Northusianum.

Ignatius Epistola 4. ad Philippenses.

Princeps huius mundi in hoc gaudet, quan-
 do quis negauerit crucem.

2 Idem Epistola 5. ad Philadelphienses
 de coniugio Sacerdotum.

Non detraho beatis, qui nuptijs copulati
 fuerunt: opto enim DEO dignus ad eorum ue-
 stigia in regno ipsius inueniri: Sicut Abraham,
 Isaac, Iacob, Ioseph, Esaias & ceteri Prophe-
 ta, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli,
 item Iob, Iudith, Anna, David, coniugati fue-
 runt, qui non libidinis caussa, sed subrogandae
 posteritatis gratia, statum matrimonij colue-
 runt & in eo uixerunt.

6 Augustinus sermone 17. de uerbis
 Apostoli.

In coelesti patria nullus erit locus orandi,
 sed tantum laudandi: Quia nihil ibi deest aut
 deerit

deerit: quod enim hic creditur ibi uidetur, quod hic speratur, ibi tenetur, quod hic petitur, ibi cipitur.

4

Idem Sermone 18.

Timetur carcer, timetur conclusio, & non timetur gehennæ exustio: Timetur cruciatus temporalis, & non timetur pœna ignis æterni, timetur ad modicum uri, et non timetur in æternum mori: Iuxta illud: Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.

5

Idem Homilia 5.

Ira est festuca, trabes odium. Nam sicut festuca crescit in trabem, sic ira inueterata fit odiū.

6

Idem Homilia 15.

1. Corinth. 12.

Si patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.

Ecce lesus est pes à spina, & totum corpus illuc incuruatur, et nihil uacat in homine ad subueniendum: Et solum in pede factum est uulnus, & totum quod est in homine operatur. Nunquid omnia sunt puncta? Nunquid omnia dolēt? sana est manus, sani sunt oculi, sanum est caput, sana alia membra, & ipse pes sanus est, ibi tantum dolet ubi est punctus. Non est ergo communis calamitas omnibus, sed per compassionem charitatis omnia ueniunt ad subueniendum, & omnia uolunt succurrere. Also sol sich eis

I 2

Christe

Christ des andern noth auch annemen. Item in populo quando statur, & est aliqua coartatio, si alter alterum calcet, lingua dicit, quid me calcas? Num ipsa calcata est? nonne libera, habens in ore uocem? Est quid calcatum, pes est calcatus? Sed charitas dicit, calcas me: Compassio unitatis & uinculum societatis dicit, calcas me.

7

Idem Homilia 18.

Cum transierit tempus operandi (uel bene uel male) non restat nisi recipiendi. Nemo enim dicturus est, uesti nudum, ubi omnium tunica erit immortalitas: Nemo dicturus est, frange esurienti panem tuum, ubi nulla erit esuries: Nemo dicturus est suscipe peregrinum, ubi omnes in sua uera patria uiuent: Nemo dicet, uisita ægrum, ubi sempiterna est sanitas: Nemo dicet, sepeli mortuum, ubi mors nunquam erit, sed penitus est mortua.

8

Idem libro primo de Ciuitate DEI

capite 10.

Sanctis in amissione rerum temporalium nihil perit.

9

Hilarius in 18. caput Matthæi.

Mundo nihil tam periculosum, quam non recepisse Christum.

10

Idem libro septimo de Trinitate.

Hoc est Ecclesiæ proprium, ut tū uincat cum læditur, tum intelligatur cum arguitur, tum obtineat cum deseritur.

11 Idem

11 Idem super Psalm. 61.

Radix maxime iniquitatum est in cupiditate pecuniæ, quam qui appetit grauissimæ tempestatis naufragio mergitur: iuxta illud, Cum diuitiæ affluent, nolite cor apponere.

12 Ex monodia Gregorij Nazianzeni in obitum Basilij magni.

Lex Martyrij quæ?

Lex præceptumq; seruatoris neminem sese morti sponte offerre, aut iugulum petenti præbere cogit, ne aut placendi Deo cupiditate in effundendo sanguine, proximum contra id facere præceptum cogamus: Ne occidas, aut nobis ipsi mortem inferre uideamur: Tempore uero nos uocante ad certamen, alacriter fateri ac legitime pugnare oportebit. Sese namq; inimicis ut interficiatur tradere audaces nimium est, deprehensum uero minime Christum fateri aut refugere, timidi atq; ignaui.

13 Ad illud 1. Timoth. 5.

Manus cito ne cui imponas.

Nec hos laudo qui sine ordine statim in Ecclesia promouentur. Quin potius nautarum morem laudauerim: Nam illi gubernatorem ab initio aut subito non faciunt, sed cum primum per omnia nautica exercent ac experiuntur officia, remigem prius uidere uolunt, deinde in proa constitutum uentos nosse atq; ediscere, petras

I 3

insuper

insuper ac scopulos probe vitare assuescen-
 tem. Postremo in omnibus exercitatum mune-
 ribus in puppi collocant, clauumq; in manum
 tradunt, & gubernatorem constituunt. Simili-
 ter et in disciplina bellica primū miles efficitur,
 deinde ordines regit, postremo efficitur dux.
 Eadem & Medici et Pictoris ratio, ut hic (M)
 ante professionem canones ediscat, multosq; ui-
 deat & tractet morbos, ille (P) colores com-
 miscere ac temperare prius, deinde delineare,
 ad extremum absolutas coloribus figuras red-
 dere sciat. Episcopum autem, res ridicula, tu-
 multuarie, confuseq; nec ordine, nec rite fieri
 uidemus, non item ex uirtute, sed uitio, & astu-
 tia, non qui dignus, sed qui potentior fuerit.
 Nam nec prius exercitatus, sed rerum Ecclesie
 ignarus, rudisq; adeo & à uita seculari recens
 promouetur. Sic facimus præfules, & nihil dis-
 centes credimus esse sapientes, qui nullo prius
 muniti sunt gradu, non uirtute, nō eloquentia,
 nullum pro iusticia laborem, nihil demum pro
 Ecclesie sunt passi. Ille namq; qui diuina tantum
 meditatur, & corpus subiugat spiritui, ut quan-
 doq; loco cœlesti sit dignus, locum inter homi-
 nes libenter retinet humilem atq; inferiorem.
 Ignarus uero & absq; disciplina, elatus ac supi-
 nus supra meliores extollitur, nec boni aut hu-
 militatis exemplo mouetur, sed omni studio tan-
 tum

tum honores quærens, ex potestate sibi ingenium ac prudentiam pollicetur: Ex quo uerum illud Demosthenis: Rem præter dignitatem assequi, stultis male sentiendi aut cogitandi est occasio. Denn es enstehet viel vnrathe draus, wenn man vnerfarne, vngelerte leuthe zum predigamt verordnet, welchs auch im geringsten amt, so in die welt gehört, nicht geschiehet, viel weniger solte es geschehen in so einem hohen amt, daran Gottes ehr vnd des menschen heil gelegen ist.

14 Basilii magni in sermone
de Ira.

Ira conuertit hominem in feram, & non finit esse participem rationis: Ob iram acuitur ensis, mors homini ex homine uenit: Fratres inter se ignorantur, parentes filiorum naturæ ac charitatis obliuiscuntur. Ira excitat certamen, certamē autem conuitium, conuitium uerbera, uerbera demum uulnera, ex quibus et mortes sepe sequuntur. Vnde Cato.

Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.

15 In mortem Christi gloriosam.

Mors mortis morti mortem ni morte dedisset,

Cælorum nobis ianua clausa foret.

16 Mors non timenda.

Securus moritur qui scit se morte renasci,

Mors ea non dici sed noua uita potest.

17 Credendum Euangelio.

Magna profecto insania est Euangelio non credere, cuius ueritatem sanguis martyrum clamat, Apostolicæ uoces resonant, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.

18 Hic est Filius meus dilectus
Matthæi 3. & 17.

Q. D. Non dono hic uobis Moſen, non Prophetam aliquẽ inſignem, non Angelum, non diuum quendam, non theſaurum, nec ullum aliud donum quantumlibet pretioſum, ſed dono unicum & dilectum Filium meum, id eſt, ipſiſſimum meum cor, ueriſſimum illum & æternum omnis gratiæ ac boni fontem. Hæc Lutherus.

19 De utilitate crucis.

Afflictio quam Deus immittit bona eſt, uel quia iuſta, dum pro immiſſis infligitur, uel quia medicina eſt ad reſipiſcendum, uel quia ſeges eſt ac materia maioris gloriæ.

20 Omnia probate, quod bonum eſt
tenete.

Sicuti prudentiæ eſt Chriſtiani non facile pro certo credere quod non eſt expreſſum in Sacris literis, ita modeſtiæ Chriſtiani eſt, non reiſcere petulanter, quod piorum hominum reſligioſa cõtemplatio prodidit, uel ad ſolatium, uel ad eruditionem credentium.

21 Gre=

21 Gregorius.

Nemo potest hic gaudere cum mundo & illic regnare cum Christo: iuxta illud, Si sufferimus, & conregnabimus, 2. Timoth. 2.

22 Gilbertus Sermone 1. in Cantica Canticorum Salomonis.

Nil tutius bona conscientia, & leticia bonæ conscientie est paradysus animæ, secundum AUGVSTINVM & habitaculum Spiritus sancti secundum HVGONEM. GREGORIUS Homilia 9. in Ezechielem. Quid prodest si omnes laudent cum accusat conscientia? aut quid poterit obesse, si omnes derogent nobis, & sola conscientia bona nos defendat.

23 Augustinus.

Non est momentum quo non utimur Dei bonitate.

24 Celestinus Papa.

Horremus, fateor, tantæ impietatis reperiri aliquem, ut de DEI pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere. Item Isidorus, Nihil ita offendit DEVM, sicut crimen desperationis, excludit enim hominem à gratia DEI.

25 Bernhardus.

Ocium est sentina omnium vitiorum. Et Augustinus: Ocium est puluinar Satanae. Darauff pflegt ihn gern zu threumen, wie er möge lu-

I 5

gen

gen, mordt, vnd allerley vngluck stiffen vnd
arrichten.

26

Augustinus.

Gaudium mundi est gaudium phreneticorum,
infirmi-
tatem suam non cognoscentium.

27

Petrus Blesensis.

Nolite diligere mundum.

Est enim mundus fallax, finis dubius, iudex
terribilis, & sine fine poena.

28

Beda.

Si pulsamur aduersis, perseueremus in finem,
nec promissam nobis salutē perdat desidia, imo
fidem quam didicimus etiam inimicis oblectan-
tibus palam confiteri non metuamus: Iuxta il-
lud: Omnis qui confitebitur me coram homini-
bus, confitebor & ego illum coram Patre meo,
qui est in caelis, Matth. 10.

29

Radulphus Flauiacensis.

Sunt nonnulli qui in magnis criminib. sibi con-
scij non sunt, sed de ipsa innocentia sua super-
bientes alios despiciunt. Multi econtra sunt, qui
post grauium criminū perpetrationem resipis-
centes, et de transactis malis grauiter se accu-
sant, & in reliquū uitam suā perfecte emēdant.

30

Augustinus.

Tutius auditur ueritas quam praedicatur.

31

Idem.

Non tardemus conuerti ad Dominum: Non
dica-

dicamus, cras, cras. Est enim uox coruina, & coruus non redijt ad arcam: ita qui tempus pœnitentiæ datum negligit, frustra ante tribunal preces effundit, Den er wirt sagē, Nescio uos.

32 **Prediger müssen straffen.**

Augustinus ser. 47. ad Fratres in Erēmo. Emendate uitā, et ego emendabo uerba, quiescite agere peruerse, & ego quiescam mala uestra uobis impropere. Iuxta illud: Clama ne cesses, Item, Peccantes coram omnibus argue ut ceteri habent timorem.

33 **Contra Auaros.**

Omnia suis terminis clauduntur, sola auaritia nullo clauditur fine. Avaro si datur terra cuncta, quærit mare, si datur etiā mare, aërē quærit.

34 **Augustinus.**

In luctu nascimur, in labore uiuimus, in dolore morimur.

35 **Zmaragdus.**

Sacræ lectionis cognitio, imbecillis baculum, neruosis arma ministrat.

36 **Augustinus**

Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum fuerit consummatum, generat mortem.

37 **De bono pacis.**

Pax animā nutrit, retinet concordia pacem,
Pax reprimit litem, concordies nectit & idem

Lis

*Lis pacem metuit, refugit discordia pacem,
Odia pax pellit, castum pax nutrit amorem.*

38 Bernardus Sermo. 26. in Cantica Cantico-
rum Salomonis. Christiani non moriun-
tur sed obdormiunt, 1. Thessa. 4. Quare
& illos refuscitabit Christus in
nouissimo die.

Nunquid occisum quis dixerit quem DEVS
plātauit in uitā? nō amittimus sed præmittimus
eos qui ex hac uita discedūt, illis mors nō est sti-
mulus sed iubilum. Moritur enim mors in Chri-
stianis, & perforatur hamo quē incauta glutit.

39 Idem Sermone 72.

*Portamus omnes impressum nobis cauterium
conspirationis antiquæ, Hoc est, & nascimur
& sumus omnes peccatores.*

40 Augustinus sermo. 23. ad Eremitas.

*Diabolus est princeps mundi, quare regnat in
eo ambitio, dominatur perfidia & conculca-
tur simplicitas.*

41 Idem Sermone 55.

*Esse sine Christo miserum est, Christum se-
cum esse tutum est, Esse cū Christo beatum est.*

42 Ioannes Gigas.

*Quā certū est dominū uenturū uindice dextra,
Tam certum est summum non procul esse diē.*

43 Augustinus Sermo. 35. ad Fratres
in Eremito.

*Auaritia est nouerca & summa inimica iu-
sticiæ.*

44 Se=

44

Seneca.

Duo faciunt hominem iustum erga proximum scilicet, omnibus prodesse, & nemini obesse.

45

Cassiodorus.

Iusti cum alijs iurgia non habent, sed cum seipsis, iuxta illud, Iustus primum est accusator sui, proverb. 18.

46.

Ambrosius lib. 1. Officiorum.

Vera iusticia negligit propriam utilitatem, ut quærat communem æquitatem.

47

Augustinus.

Homo puniat peccatum in seipso, id est, resistat peccato, ut non puniatur pro illo.

48

Gregorius.

Ira dum animum pulsat, Spiritus sancti turbat hospitium.

49

Augustinus.

Ira est multorum vitiorum ianua, qua clausa datur uirtutibus requies, qua aperta, ad omne malum facinus homo est paratus.

50

Isidorus.

Sicut medicamentum nil proficit, cum ferum adhuc est in uulnere: ita nec oratio cum in mente adhuc dolus latet.

Cata

CATALOGVS AV-
TORVM QVI IN HOC LI-

bro pro corroboranda atq; confirman-
da scripturæ ueritate, tanquam
testes adhibentur atq;
citantur.

- | | | | |
|----|---------------------------|----|-----------------------------|
| 1 | Augustinus | 22 | Martinus Lutherus |
| 2 | Athanasius | 23 | Basilius Magnus |
| 3 | Adam de S. Vi-
ctore | 24 | Tertullianus |
| 4 | Tilemannus Cra-
gius | 25 | Methodius (sis) |
| 5 | Theophilactus | 26 | Rupertus Tuicē- |
| 6 | Sedulius (tiarū) | 27 | Nicolaus de Lyra |
| 7 | Magister Senten- | 28 | Hilarius |
| 8 | Petrus Artopæus | 29 | Beda |
| 9 | Andreas Altha-
merus | 30 | Theodoretus |
| 10 | Gregorius Papa | 31 | Ioan. Chrysostom. |
| 11 | Hieronymus | 32 | Vrbanus Rhegius |
| 12 | Philippus Melan. | 33 | Bonauentura |
| 13 | Bernhardus | 34 | Anselmus |
| 14 | Gregori. Nysses | 35 | Petrus de Aquila |
| 15 | Carolus Bouillus | 36 | Cyprianus |
| 16 | Ambrosius (nū) | 37 | Ioannes Damas-
cenus |
| 17 | Symbolū Nycae | 38 | Ioannes Hus |
| 18 | Theodulphus | 39 | Ignatius |
| 19 | Fortunatus (ger. | 40 | Gregorius Nazia-
anzenus |
| 20 | Heinricus Bullin- | 41 | Isidorus |
| 21 | Iodocus Chlichto-
ueus | 42 | Celestinus Papa |
| | | 43 | Hugo de San. Vi-
ctore |

44 Petrus Blesensis	47 Zmaragdus
45 Radulphus Flavi acensis	48 Ioannes Gigas
46 Gilbertus	49 Seneca
	50 Cassiodorus

INDEX LOCORVM SCRIPTURAE
qui in hoc Enchiridio tractantur.


LOCVS


I	De Sancta Trinitate.
II	De Creatione.
III	De Peccato.
IIII	De Libero arbitrio.
V	De Lege ac Euangelio.
VI	De Bonis operibus & de Præ destinatione.
VII	De Ecclesia & de Sacramen ^{to}
VIII.	De Oratione. (tis.

Psalmus 117.

Laudibus ô gentes Dominũ celebrate quot usq̃
Cunq; capax magni circulus orbis habet.
Nulla sit in cunctis adeo tribus abdita rebus,
Quæ non gratifico prædicet ore DEVM.
Ille etenim larga nos dexteritate reuisens
Non sinit ingrata pestilitate premi.
Ipsius æternos pietas quia summa per annos
Permanet, & finem non habitura fides.

DEO GRATIA.





13

ΕΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ
PRÆCIPVORVM LOCORVM SACRAE
SCRIPTVRAE, ORTHODOXORVM
patrum scriptis illustratum, &
in gloriam Domini nostri IESV
CHRISTI, & Iuniorum
Theologorum usum
conscriptum,

ATQVE ILLVSTRISSIMO ET CHRISTIANISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO,
DVCI SAXONIAE ETC.
DEDICATVM.

PER M. LEONARDVM IACO
*bi Northusianum, Ecclesiae Calbien
sis Pastorem.*

LIPSIÆ
EX OFFICINA VALENTINI
PAPÆ.

M. D. LII.

